

DE  
**DEMETRIO IXIONE**  
GRAMMATICO.

---

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

**TRAUGOTT STAESCHE**

SILESIUS.

---

HALIS SAXONUM

TYPIS GEBAUERICO-SCHWETSCHKEANIS.

MDCCCLXXXIII.

FH 47443

5778

BV 0054 842 61

Universitätsbibliothek  
Eichstätt

85 13596

De Demetrio Ixione grammatico haec verba apud Suidam leguntur: Δημήτριος ὁ ἐπίκλην Ἰξίων, γραμματικὸς, Ἀδραμυττηνός, γεγονώς κατὰ τοὺς Ἀβγούστου τοῦ Καίσαρος χρόνους· ὃς διέτριψεν ἐν Περγάμῳ· ἐπεκλήθη δὲ τοῦτο, ὡς μὲν τινες, διότι λεπίδας χρυσᾶς κλέπτων τοῦ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ τῆς Ἑφρας ἀγάλματος ἐφωράθη· ὡς δὲ ἄλλοι, ὅτι ἀπεσύλησεν Εὐριπίδειον Φιλότιμον τὸ δράμα ἔχον τὸν Ἰξίωνα· ἕτεροι δὲ ὅτι τῷ διδασκάλῳ Ἀριστάρχῳ ἀντήρισεν, ὅσπερ ὁ Ἰξίων εὐεργετήσασιν αὐτὸν τοῖς θεοῖς ἀχαριστεῖν ἐπεχείρησεν. ἔγραψε δὲ πολλὰ περὶ τῶν εἰς μὴ ληγόντων ῥημάτων· καὶ ἄλλα περὶ ἀντωνυμιῶν· εἰς Ὅμηρον ἐξηγήσιν· εἰς Ἡσίοδον ὁμοίως.

Natus igitur est Adramyttii, qua de urbe Mysiae, imprimis quod ad nominis formam et originem attinet, accuratius disseruit Steph. Byz. p. 27 Mein. Quod cum satis leve sit, sufficit ad illum scriptorem delegasse, si quis illud cognoscere velit. Maioris contra momenti sunt ea, quae de Ixionis cognominis origine et de aetate grammatici ex Hesychii Milesii Onomatologo Suidas in suum opus transtulit.

Primam igitur causam cognominis Suidas nonnullos attulisse exhibet, quod Demetrius in furto deprehensus fuisset, quo aureas bracteas simulacri Iunonis Alexandrinae surripere conaretur. Quae interpretatio quid sibi velit, facile intellegimus. Excogitata enim est ab homine, qui putabat fieri non posse, quin Ixionis cognomen aliqua ratione cum Iunone cohaereret. Ut illum, qui fabulis ferebatur, Ixionem, ita etiam grammaticum delictum in Iunonem commisisse. Itaque narratiuncula furti imaginis Iunonis Alexan-

drinae facti orta est. Secundam, quam Suidas affert, cognominis explicationem, hunc sensum habere perspicuum est: Demetrius ideo Ixion vocatus est, quod homini cuidam drama quoddam, quod Ixionem illum mythicum continebat Iunonis amore flagrantem, furatus sit. Sed de singulis verbis potest dubitari. Apparet enim verba, ut tradita sunt, non recte se habere. Daubius igitur, qui vir doctus in libro, cui inscripsit Studien zu den Biographica des Suidas (Freib. i. Br. u. Tüb. 1882 p. 87), hanc quaestionem perstringit, omnino si illis verbis sanus sensus insit, quod ipsi quidem valde dubium videatur, haec proponit legenda: *ὅτι ἀπεσύλησεν Εὐριπίδειον τὸ δράμα ἔχον τὸν φιλότιμον Ἰξίωνα*. Sed praeterquam quod in adiectivi, quod est *Εὐριπίδειον*, collocatione regulas grammaticas neglexit, Ixion ille, ut homo libidini deditus, prorsus aliis est dignus epithetis. Et ne illud quidem statui potest genuinam lectionem esse *ὅτι Φιλότιμον ἀπεσύλησε τὸ Εὐριπίδειον δράμα κτλ.*, ut vertendum sit: 'Quod Philotimum dramate illo Euripideo, quod Ixionem continet (vel quod pertinet ad Ixionis fabulam), privavit.' Hoc modo si verba transmutamus, quem fuisse Philotimum putemus? Si Demetrius Philotimo cuidam drama abstulit, huic nomini, quod plane ignotum est, debuit pronomen indefinitum addi. Mihi quidem verba illa corrupta sic verisimillime restitui videntur: *ὅτι ἀπεσύλησεν φίλον τινὰ τὸ Εὐριπίδειον δράμα ἔχον τὸν Ἰξίωνα*<sup>1)</sup>. Euripidis autem et Aeschylī fabulas fuisse, quae Ixionem illum mythicum tractabant, notum est. Tertia, quae affertur, cognominis causa vix interpretatione eget: Demetrius adolescens Aristarchi discipulus postea eius contrarius factus est. Illum autem vehementer ab eo impugnatum esse infra ex fragmentis videbimus.

Diogenes Laertius<sup>2)</sup> primam tantum harum interpretationum attingit his verbis usus: *ἐπικληθεὶς Ἰξίων διὰ τὸ ἀδικῆσαι τι δοκεῖν περὶ τὴν Ἥραν*. Itaque scriptor, quem adhibuit Laertius, quamquam pleniorē illam cognominis expli-

1) De hac collocatione verborum cf. Krüger Sprachl. I 50, 9, 8,

2) Diog. L. V 84.

cationem, qualis apud Suidam primo loco legitur, bene novisse videtur, tamen, id quod ego quidem ex istis verbis elucere credo, ei minus fidei habuit; quare leviter tantum narrationem illam perstringit.

De fide autem talium narrationum Beccardus (de schol. in Hom. II. Venetis. diss. Berol. 1850 p. 65) recte iudicavit, cum grammaticos dicat, qui nihil aliud nisi Demetrio illud nomen fuisse scirent, illas explicationes excogitasse<sup>1)</sup>; certi enim quidquam veteribus non notum fuisse ex eo potissimum effici, quod non una, sed complures nominis explicationes ferebantur. Quarum quae probabilior sit, cum eiusmodi cognomina haud raro parvulis ex causis oriantur, frustra exquiremus. Neque quidquam refert hoc exploratum esse. Maioris momenti est, quod illis cognominis Ixionis explicationibus nonnulla insunt, quae ad grammatici aetatis descriptionem, de qua nunc disserendum est, multum valent.

Hesychius igitur Milesius, ex quo Suidam commentationes de vitis oratorum, sophistarum, grammaticorum, philosophorum hausisse constat, Demetrii Ixionis aetatem definit verbis, quae sunt: *γεγονῶς κατὰ τοὺς Αὐγούστου τοῦ Καίσαρος χρόνους* i. e. vixit vel floruit Augusti temporibus. Verbo enim, quod est *γέγονε*, hanc notionem inesse E. Rohdii opera demonstratum est. (cf. Rh. Mus. XXXIII p. 161—220: *γέγονε* in den biographien des Suidas'.) Sed huc non quadrat, quod Demetrius Aristarcho praeceptore usus esse dicitur. Aristarchus enim centum fere ante annis, quam Caesar Octavianus regnum auspicatus est, diem supremum obiit, ut Demetrius, qui, cum Augusti aetate vixisse (*γεγονέναι*) dicatur, ante annum octagesimum natus esse non potest, nullo modo Aristarchi discipulus possit haberi. Iam videamus, illa verborum Suidae in Demetrii vita discrepantia qua ratione solvi possit. Aut in aetatis descriptionem error irrepsit aut Ixion, si Augusti temporibus vixit, non fuit Aristarchi discipulus.

1) Hoc non sic accipiendum est, quasi ea, quae de ortu cognominis feruntur, necessario pro fictis habere debeamus; certe Ixionem in praeceptorem ingratum fuisse infra videbimus.

Hanc, quam secundo loco posui, opinionem Maassius defendit ('de biographis Graecis quaestiones selectae' Philol. Untersuch. ed. A. Kiessling et U. de Wilamowitz-Moellendorff. Tom. III. Berol. 1880 p. 32). 'Quid enim?' inquit. 'Nonne "διδάσκαλος" Aristarchus ita potest accipi, ut dici solet de Aristotele Homero aliis? Nec dissimilis Πάμφιλος ὁ Ἀριστάρχειος, Ἀρτεμίδωρος ὁ Ἀριστοφάνειος, Ἡρόδικος ὁ Κρατήτειος. Quid igitur? Si de scriptoris sententia nondictis sed scriptis Demetrium erudit Aristarchus? Cum utraque interpretatio per se videatur probabilis, haec articuli Suidani particula nobis semovenda est; restat initium *Δ. γεγονώς κατὰ τοῦς Αὐγ. τοῦ Καίσαρος χρόνους*. Diserto hoc testimonio — plura non suppetunt — Augusti tempori assignatur Demetrius.' Haec Maassius, qui exemplis istis, quae similia appellat, nihil demonstravit. Multum enim interest inter Aristarcheum et Aristarchi discipulum. Ut exemplum dilucidius afferam, si quis nostri saeculi Platoniscus est, num hinc licet concludere eum Platonem ipsum audisse? Deinde vir doctus ne unum quidem potuit citare locum, quo voci, quae est *διδάσκαλος*, ea, quam ipse accipit, translata significatio insit. Verba enim, quae *παιδεύειν* et *διδάσκειν* sunt, translate usurpari, ut rem non ita ignotam, vix oportebat exemplis novis illustrare, ut ille v. d. fecit (l. l. adn.), sed *διδασκάλον* nomen substantivum interdum non proprie intellegendum esse. Quod autem ex sua huius verbi explicatione certo sequi putat Demetrium Augusti aetati assignandum esse, id neutiquam teneri potest, cum a scriptoribus citetur, qui ipsi ante Augustum vixerunt ac floruerunt.

Commemoratur enim Demetrius saepius in iis codicibus Ven. A. scholiis Homericis, quae Didymi sunt (cf. Didymi frgm. ed. M. Schmidt: II. *A* 423. *B* 127. 192. *Γ* 18. *Z* 171. 437. *Θ* 103. *K* 124. *Ξ* 316). Qui grammaticus Suida auctore (s. v. *Διδ. γεγονώς ἐπὶ Ἀντωνίου καὶ Κικέρωνος καὶ ἕως Ἀυγούστου*) Antonii et Ciceronis temporibus vixit usque ad Augustum. Iam cum Didymum opus *περὶ τῆς Ἀριστάρχειου διορθώσεως* Augusto demum regnante i. e. cum senex esset (cf. *ἕως!*), ut Ixionis aequalis vel paullo minoris natu

mentio fieri posset, scripsisse nullo argumento possit comprobari, statuendum videtur illum Didymo natu maiorem fuisse. Deinde respice Didymei operis inscriptionem. Ex qua cognosces auctorem sibi de Aristarchi Homericæ recensione agere proposuisse. Haec in re facere non potuit, quin, inter illam eaque, quae ceteri nobiles grammatici et ante Aristarchum et ipsa eius aetate ad verba Homeri emendanda contulerant, quae intercederet ratio, respiceret. Quapropter non solum Zenodotum Aristophanemque, illius praeceptorem, sed etiam Callistratum aequalem (cf. La Roche Hom. Textkr. p. 67) et Demetrium, utrumque Aristarchi adversarium, commemorat. An putas ex illa Didymei libri ratione atque consilio scriptoris quidquam interfuisse ea proferre, quae aequales in Homericæ textu, quem dicimus, tractando praestitissent? Accedit aliud argumentum, quo Demetrium aliquanto ante Augustum vixisse Aristarchique temporibus assignandum esse evincitur: verba Apollonii Dyscoli dico, quae sunt de pron. p. 374 B (Bekk.) *Τρύφων συγκατατιθέμενος τῷ Ἴξιόνι φησι κτλ.* i. e. Trypho assentiens Ixioni cet. Ex verbo enim, quod est *συγκατατιθέμενος*, efficitur Tryphonem, qui ipse quoque librum de pronomibus scripsit (cf. Tryph. frgm. ed. de Velsen p. 4. p. 24. p. 28), Ixionis scriptum *περὶ ἄντωνυμιῶν* cognitum habuisse. Hic igitur aut aequalis erat Tryphonis aut maior natu<sup>1)</sup>. Sed Trypho quo tempore vixit? Quod priusquam explicemus, Egenolffius v. d. refutandus est, qui (cf. Bursian Jahresber. XVII p. 122) ex illo, quem paullo ante attulimus, Apollonii loco cum verbum, quod est *συγκατατιθεσθαι*, nihil significet, quam congruere cum aliquo vel eandem atque quoslibet alios homines opinionem habere, ad aetatem grammatici definiendam nihil concludi posse contendit. Etenim assentire et congruere inter se differunt: qui enim assentit, ipse se eandem atque alium hominem opinionem habere sciat, necesse est, qui vero cum quo homine de qua re congruit, ipse hoc sciat non necesse est. Assensum autem apud grammaticos illud verbum denotare, quicumque paucas scholiorum Ven. A.

1) E. Rohde l. l. p. 168 no. 6.

paginas perlegerit, statim sibi persuadebit. (Π. Β 262 και ημεῖς δὲ αὐτῷ συγκατατίθεμεθα. 592 Ἀρίσταρχος ὡς δὲ ἐ-  
 συγκατατίθεται δὲ αὐτῷ και Ἀπολλόδορος . . . . .  
 Πτολεμαῖος δὲ φησι μὲν κύριον εἶναι τὸ αἰπί, οὐ μὴν  
 συγκατατίθεται τῷ τόνῳ. — I 321 εἰσι δὲ οἱ εἶφ' ἐν  
 ἀναγιγνώσκουσι 'περίκειται' . . . . οἷς συγκατατίθεμαι. Π 117  
 οὕτως ὁ Ἀσκαλωνίτης· κἀγὼ δὲ συγκατατίθεμαι. — cf.  
 Apoll. de pron. p. 346: οὐδὲ συγκαταθετέον Τρύφωνι  
 φάσκοντι κτλ. cf. Polyb. I 49, 5. III 71, 5.) Quodcum per-  
 spicuum sit Tryphonem Ixioni assensum fuisse, hic non  
 post illum vixisse putandus est. Tryphonis autem aetatem,  
 qua de nunc disputabimus, Suidas s. v. Τρύφων sic de-  
 scribit: *γεγονὼς κατὰ τοὺς Ἀγούστου χρόνους και πρότερον.*  
 Quae verba Velsenus (Tryph. frgm. p. 1 sq.) recte animad-  
 vertit 'non mordicus tenenda esse, cum hoc regnum omni-  
 bus notissimum et ad tempora definienda perquam accom-  
 modatum apud lexicographum non semper accurate sollicite-  
 que usurpetur'. (cf. E. Rohde l. l. p. 168: Oft ist *γέγονε*  
 bei Suidas in der Bedeutung einer approximativen Be-  
 stimmung der *ἀκμῆ* eines Autors völlig klar und sicher.) Porro  
 universa illa aetatis Tryphonis describendae ambiguaque  
 ratio respicienda est, quae ut mihi quidem persuasum est,  
 plurali potissimum numero notatur: *κατὰ τοὺς χρόνους*  
*Ἀγούστου.* Minus incertum esset *ἐπὶ Ἀγούστου.*<sup>1)</sup> Augusti  
 autem tempora non solum annos inde a 27. a. Chr., quo  
 anno Caesar Octavianus Augusti cognomine ornatus est,  
 interpretari licet, sed etiam inde a 44. anno a. Chr. Vix  
 enim Caesar necatus erat, cum hereditatem principatus ac  
 dominatus ille armis sibi comparare coepit. Trypho autem  
 iam ante tempora Augusti vixisse ac floruisse perhibetur,  
 (*γεγονὼς . . . και πρότερον*) ut his solis argumentis eum C.  
 Iulii Caesaris et Pompeii aetati assignare possimus. Huc  
 alia accedunt. Suidae vel potius Hesychii auctores omnium

1) Id ipsum legitur in Eudociae, quod fertur, Violario p. 229 ed.  
 Flach.: sed ibi quin verba *ἐπὶ Ἀγούστου Καίσαρος* pro iis, quae Suidas  
 exhibet, varietatis dicendi gratia posita sint, hodie postquam Pulchius,  
 quid de Violario illo iudicandum sit, nos docuit, nemo dubitabit.

fere, quicumque ab Energete Physcone s. 146. ao. a. Chr.  
 usque ad Augustum fuere, grammaticorum de ratione tem-  
 porum constituenda adeo non satis instructi erant, (cf.  
 E. Rohde l. l. p. 168) ut v. gr. de Ammonio illo, qui  
 Aristarcho in schola grammatica regenda successit, apud  
 Suidam haec legantur: *διεδέξατο τὴν σχολὴν Ἀριστάρχου*  
*πρὸ τοῦ μοναρχῆσαι τὸν Ἀγούστου.* Sane, ut Velsenus  
 (l. l. p. 2.) dicit, ante Augustum, sed — utcumque de  
 tempore, quo Aristarchus diem supremum obierit, iudicamus  
 — centum fere annis anté. Itaque cum de temporibus,  
 quibus grammatici saeculi a. Chr. primi et secundi posterioris  
 partis vixerint, Suidae auctoritas satis levis sit, ex verbis  
*Τρύφων Ἀμμωνίου* (Suid. s. v. Τρύφων) Velsenus proba-  
 biliter mihi videtur conclusisse Tryphonem illius, quem  
 modo laudavimus, Ammonii filium esse.

Aristarchum Alexandria Cyprum emigrasse ex Suida  
 s. v. Ἀριστ. (*τελευτᾷ δ' ἐν Κύπρῳ κτλ.*) concludendum est.  
 Factum hoc esse occiso Ptolemaeo Eupatore vel, si Lepsum  
 sequimur<sup>1)</sup>, Philopatore, qui Aristarchi discipulus fuerat,  
 initio regni Ptolemaei Physconis, viri docti magna cum pro-  
 babilitate statuerunt<sup>2)</sup>.

Itaque si Aristarchus ao. 146. vel 145. Alexandria  
 Cyprum transmigravit, Ammonius eodem tempore eius  
 scholam regere coepit. Demetrium autem Ixionem, qui  
 cum a Tryphone Ammonii illius filio citetur, hoc ipso maior  
 natu, Ammonio paullo minor habendus est, eodem anno  
 coniecerim Pergamum emigrasse. Antea enim eum Alexan-  
 driae fuisse, cum inde, quod Aristarchi discipulus appellatur,

1) Abhandl. der Berl. Akad. 1852 philol.-hist. Kl. p. 464 sqq.  
 468 sq.

2) Cf. O. Seemann de primis sex bibliothecae Alexandrinae custo-  
 dibus. Progr. Essen 1859 p. 18. Ritschelii ratiocinationi (opuse.  
 philol. I p. 65 sqq.) nonnulla obstare iam antea M. Schmidt monuerat  
 (Philol. VII p. 368). Aristarchum ante a. 148. Cyprum vita excessisse  
 vel ideo veri non est simile, quod Eupator puer vel adolescentulus  
 a Physcone obruncatus est. Aristarchus annos LXXII natus diem  
 supremum obiit: paucis annis antea cum Eupatoris educatorem prae-  
 ceptoremque esse factum vix putaverim.

tum ex fabula illa apparet, qua Alexandrinae Iunonis simulacro aureas bracteas surripere conatus esse narratur. Sit hoc excogitatum ac fictum (cf. p. 3.): cur Alexandrinae, cur non Pergamenae? Pergami enim vixit, ut Suidas dicit. Accedit, quod opus de Alexandria dialecto composuit. (cf. p. 19.) Haec omnia testimonia sunt, modo recte inter se coniungantur, eum adulescentem vel iuvenem (cf. p. 11) Alexandriae vixisse Aristarchumque audivisse. Causam vero, cur inde Pergamum transierit, duplicem excogitare possumus. Aut dissensione de doctrina grammatica, analogia potissimum, inter ipsum et praeceptorem orta quasi ad hostes transiit, ut Beccardus l. l. p. 66 iudicavit, aut ab Energete expulsus vel sua sponte, motus eius timore, cum aliis viris doctis, qui et Rhodum et Pergamum aliasque in insulas et urbes proficiscebantur, (cf. Graefenh. I p. 374) Alexandria egressus in aulam Attalicam, litterarum fautricem, se contulit. Neque improbabile videtur Demetrio, quod ut ceteri, quicumque emigrabant, pauper erat, (cf. Athen. IV p. 184: οἱ [sc. grammatici omnesque viri docti] διὰ τὸ πένησθαι διδάσκοντες, ἃ ἠπίσταντο) Adramyttium fortasse in patriam reversuro Pergami, a quo totius Pergameni regni capite Adramyttium haud ita procul abest, refugium datum esse. Quae si recte conieci — neque me fugit hac lubrica in regione verisimile potius, quam verum exquiri posse — tum demum Cratete Crateteisque auditis nomen suum eis dedisse putandus est atque ab hoc tempore ex Aristarcho Crateus factus eum, cuius discipulus ante fuerat, vehementissime impugnasse. Demetrium enim Alexandriae a doctrina Aristarchi ad Crateteam defecisse eo satis refutatur, quod ille plurimum apud discipulos auctoritate sua valuit et quod de Crateteis Alexandriae vix aliae, quam malae, iniquae, malignae sententiae ferebantur, ut Demetrius, quamdiu ibi erat, de eis nisi male existimare non posset. Nonnullis autem annis ante Aristarchi mortem ab hoc, postquam Pergamum se contulit, Demetrium descivisse praeceptoremque deinde aggressum esse statuendum videtur propter scripta πρὸς τοὺς ἠθετημένους et πρὸς τὰς ἐξηγήσεις (cf. pp. 25 sqq.), quae Aristarcho vivo et vidente edita esse

verisimilius est, quam mortuo. Et in eis cum magistrum ita impugnasse videatur, ut non solum placita praeceptaque eius repelleret, sed ipsum quoque conviciis incesseret, (cf. sch. Ar. Ran. 970: ἐπιπλήντει δὲ αὐτῷ (sc. Ἀριστάρχῳ) ὁ Δημήτριος ὡς τελῶς ἀγνοοῦντι κτλ.) ab Aristarcho, tamquam homo ingrati animi, Ixionis nomine eum notatum esse non abhorret a veri simili. — Iam si certum tempus indicandum est, quo fere grammaticus natus sit vixeritque, teneamus oportet eum Cratetis assecclam vix factum esse aut fieri potuisse ante eam hominum aetatem, qua opiniones, iudicia omnesque mores ad maturitatem pervenerunt talem atque ita corroborata sunt, ut vix flecti aut mutari possint, i. e. ante trigesimum fere vitae annum. Et cum Alexandriae de huius civitatis dialecto opus aut confecisse aut certe materiam conguessisse ad id condendum (cf. p. 19) conici liceat, non valde errare mihi videor, si eum Alexandria decedentem viginti quinque minimorum annorum fuisse censeo i. e. non multo post annum 170. natum esse, fortasse iam aliquot annis ante. Quod usque ad tempus vixerit, nescimus. Si extremae senectutis fines, qui mortalibus raro contingunt, attigit, Sullae aetate mortuus esse potest. Haec omnia si recte disputavi, apparet, illud *ἰδιδασκάλῳ Ἀριστάρχῳ* non ita ineptum esse, quam videatur Daubio<sup>1)</sup>, neque esse, cur nomen Aristarchi cum eo pro autoschediasmate, quod vocat, habeamus.

Quae cum ita sint, statuendum videtur Ixionis aetatem apud Suidam vitiose esse descriptam. Discessit in hanc opinionem M. H. E. Meier (Commentationis sextae de Andocidis, quae vulgo fertur, oratione contra Alcibiadem particula tertia s. de lexicis rhetoricis in Meieri opusc. ac. II p. 40 sq.). Qui vir doctus Suidam credidit *Ἀγρόστου* de suo addidisse, in iis autem fontibus, quos adisset, solum scriptum fuisse *γεγονῶς κατὰ τοὺς Καίσαρος χρόνους*, ut C. Iul. Caesar intellegendus esset. Sed hoc factum esse etiamsi ponimus, tamen, nisi cum Meiero (l. l. p. 41) Aristarchum anno 113. a. Chr. diem supremum obiisse sta-

1) Studien zu d. Biogr. d. Suid. 1882. p. 86 sq.

tuimus, discrepantia illa verborum Suidae, quamquam minuitur, non solvitur. Aristarchus autem (cf. O. Seemann l. l. p. 18) viginti fere annis ante mortuus est. Ceterum vir doctus in eo, quod de Suida dicit, erravit: is enim lexicographus eorum, quae de vitis grammaticorum, philosophorum, aliorum apud Hesychium, ex quo solo illas hausit, repperit adeo nihil mutavit, ut contra, quae ille exhiberet, ad verbum transcriberet. Aliter iudicavit Fr. Osann (quaestt. Hom. I. p. 5. not. Giss. cat. lect. 1851). Qui, cum Meieri sententiam ideo, quod nulla cogente causa *Αἰγούστου* adiectum esse non verisimile sit, reiciat, Demetrium Ixionem cum grammatico eo a Suida confusum esse, qui Troezenae oriundus Didymo aetate aut posterior aut suppar fuit, mavult. Is quoque Hesychium, non Suidam erroris arguere debuit. Ceterum Osanni opinio, qua Ixion cum Troezenio est confusus, haud inepta videtur: quamquam certi quidquam de origine erroris illius, qui restat apud Suidam, dici nequit.

Breviter commemorandum videtur nullius esse momenti locum, qui est in Cram. Anecd. Oxon. III. 269, 27 . . . *σχηματίζεται ὁ Τρύφων καὶ ὁ τούτου μαθητὴς Ἀπολλώνιος καὶ ὁ τοῦ Ἀπολλωνίου υἱὸς ὁ Ἡρωδιανός*: quae verba de Tryphonis aetate, qualem supra computavimus, et de Demetrii Ixionis fortasse alicui iniiciant scrupulum. Sed etiamsi Tryphonem — id quod ex eis, quae supra disseruimus, intellegis non licere — eodem demum, quo Augustum, anno animam efflasset ponamus, non potuisse Apollonium arte grammatica ab illo instrui elucet. Sibi ipse dissidet La Roche, cum scribat (Hom. Textkr. p. 109): Trypho aus Alexandrien, der Sohn des Ammonius und Zeitgenosse des Kaisers Augustus etc. et deinde (p. 112): Apollonius Dyscolus aus Alexandrien, ein Schüler des Trypho, der in der ersten Hälfte des zweiten Jahrhunderts nach Chr. lebte.

Nunc transeamus ad scripta Demetrii Ixionis. Quorum catalogus, qui apud Suidam exstat: *ἔγραψε δὲ πολλά· περὶ τῶν εἰς μὴ ληγόντων δημάτων· καὶ ἄλλα περὶ ἀντωνυμιῶν· εἰς Ὀμηρον ἐξήγησεν· εἰς Ἡσίοδον ὁμοίως*. minime omnium Demetrii scriptorum mentionem facit. Aliorum cum nudas inscriptiones, tum inscriptiones una cum fragmentis in scholiis

Homeri Aristophanisque et apud Athenaeum legimus. Quas Hesychium Milesium cognitas habuisse cum certo dici non possit, tamen veri non est dissimile. Catalogi enim librorum in vitis grammaticorum saepius decurtati ac mutili apud Suidam inveniuntur. Velut Herodiani celeberrimi grammatici nullus laudatur titulus, sed hoc tantum pro illis dicitur: *ἔγραψε πολλά*. Didymi minoris duo scripta nominantur: *ἔγραψε Πιθανά· Περὶ ὀρθογραφίας· καὶ ἄλλα πλεῖστα καὶ ἄριστα*. cf. s. *Ἀπίων* . . . *ὁ ἐπικληθεὶς Μόχθος* . . . *ἔγραψε ἱστορίαν κατ' ἔθνος, καὶ ἄλλα τινά*. s. v. *Διονύσιος Θραῖς* . . . *συνέταξε πλεῖστα γραμματικά τε καὶ συνταγματικά καὶ ὑπομνήματα*<sup>1)</sup>. Herodiani potissimum exemplo facile apparet catalogos illos, quales nunc sunt, tales non apud auctores fuisse, e quibus derivati sunt. Suidas videtur, quod eum omnes titulos adscribere pigebat, plerosque omisisse. Hoc etiam in Ixionis scripta cadit, quae ille affert. Sed verba, quae sunt *πολλά* et *καὶ ἄλλα*, cur tam inepte collocata sint, nescio, quomodo exponam. Post *πολλά*, quod cod. A habet ideoque retinendum est, Daubius (Studien etc. p. 87) recte punctum posuit; verba *καὶ ἄλλα* sic probabiliter explicari posse putaverim, ut Suidam in fonte suo longiorem titulorum seriem repperisse statuamus, quae incipiebat a verbis *ἔγραψε δὲ πολλά· περὶ τῶν εἰς μὴ ληγόντων δημάτων*. Iam sequebantur ceterae inscriptiones. Quas enumerare cum longum videretur, scripsit *καὶ ἄλλα*. cf. s. v. *Ἀπίων* et *Νικάνωρ*. Eas autem, quae nunc post *καὶ ἄλλα* leguntur, aut ipse, cum denuo vitas suas cum Hesychio conferret, aut alius grammaticus Byzantinus, illo *καὶ ἄλλα* non eraso adiecit, quod, imprimis commentarii ad Homerum et Hesiodum, graviores essent, quam ut omitti possent. Quamquam etiam alia conici posse non nego.

Primum scriptorum Ixionis locum apud Suidam tenet *περὶ τῶν εἰς μὴ ληγόντων δημάτων*. Cuius libri nisi ab illo lexicographo non commemorati nullum fragmentum servatum est, ut, auctor hoc opere quid sibi voluerit, coniectura assequendum sit. Et maxime quidem ad Dionysium Thra-

1) cf. etiam s. *Νικάνωρ*.

cem confugiemus, si de consilio illius operis certiores fieri volumus. Ille enim Demetrio aequalis fere fuit. (M. Schmidt Philol. VII. p. 367 ao. 161. fere eum natum esse computavit.) Dionysius igitur, cuius unius ex Aristarcheis ars grammatica, quamquam non integra, ad nos pervenit, cum verbi octavam *παρεπόμενον*, quod vocabatur, *σιζυγίαν* i. e. coniugationem tractet, (cf. Lersch: Die Sprachphilosophie der Alten, II 194 et 218 sqq.) tres internoscit coniugationes: ac primum quidem *βαρυτόνων ἡμεάτων*, deinde *περισπωμένων* tertio *ἡμεάτων εἰς μὶ ληγόντων*. Huius tertiae coniugationis, prout  $\bar{\epsilon}$  aut  $\bar{\alpha}$  aut  $\bar{\omicron}$  aut  $\bar{\upsilon}$  in infinitivo invenitur, quattuor verborum genera distinguuntur. Quam distinctionem etiam Ixion agnovisse putandus est.

Praeterea illud conicere licet Demetrium etiam hoc in libro Aristarchi Aristarcheorumque adversarium se praestitisse, cum analogiam, quam illi in formis verborum constituendis valere voluerant, repelleret. Ceterum Demetrius primus, quod sciamus, peculiarem de verbis in  $\bar{\mu}$ i commentationem condidit: nam Philoxenum, cuius *περὶ τῶν εἰς μὶ ληγόντων ἡμεάτων* Suidas s. v.  $\Phi$ . et Herodianus ad II.  $\Omega$  665 (schol. A) laudant, Kleistius Augusti et Tiberii temporibus Romae grammaticam professum esse probavit. (De Philoxeni gramm. Alex. stud. etym. p. 12. diss. Gryfisw. 1865.) Neque ceterorum secundi et primi a. Chr. saeculi grammaticorum quisquam eiusmodi librum scripsisse traditur.

Sequitur liber *περὶ ἀντωνυμιῶν*, de quo, cum duo tantum vel tria exstant fragmenta, vix accuratiora dici possunt. Priusquam, quae servata sunt, contemplemus, pauca de pronominis appellatione praemittantur. Significatio enim, quae est *ἀντωνυμία*, minime ab omnibus veteribus grammaticis agnita est. Zenodotus quidem et Aristophanes quomodo pronomina vocaverint, memoriae non traditum est. Praeter eos autem illi orationis parti quam varia indita sint nomina a grammaticis, ex Apollonii Dyscoli libro *περὶ ἀντωνυμιῶν* (p. 261 B sqq. Bekk.) perspicitur. (cf. P. Schmiëder: Zur Schrift des Apoll. Dysc. de pron. Jahresber. üb. d. Realsch. I. O. u. d. Progymn. zu Barmen 1865 p. 2 sqq.)

Aristarchus ipse pronomina *λέξεις κατὰ πρόσωπα συζύγουσ* vocavit, Dionysodorus *παρονομασίας*, Tyrannio *σημειώσεις*, Comanus *ἀντονομασίας*, Stoici *ἄρθρα*, alii *ἀντώνυμα*, alii *ἰσώνυμα*. Apollonius cum omnia refutet nomina, hanc unam, quae *ἀντωνυμία* est, significationem retinet. Cuius nominis, si temporis longinquitate iam usurpatum fuisset, explicatione ac defensione opus non fuisse recte animadvertit C. Kromayer. (Quae grammatici Alexandrini de Pronominis Natura et Divisione statuerint p. 41 fin.) Sed Aristarchi inter aequales fuisse, quibus pronomina *ἀντωνυμίας* dicere placeret, inde consequitur, quod ab Apollonio (de pron. p. 263 A 4—264 A 9) Comanus quidam commemoratur, qui significationem, quae est *ἀντωνυμία*, ut Aeolismum continentem reiecit. Comanus autem Aristarchi temporibus vixit, ut ex huius commentatione *πρὸς Κομανὸν* scripta apparet. (cf. sch. A ad II. B 798.  $\Omega$  110. Kromayer. l. l. p. 41.) Iam Demetrius Ixion, ut ad eum tandem revertamur, quod nomen pronomini tribuerit, quaeritur. Namque quod Suidas *περὶ ἀντωνυμιῶν* inter alios scriptorum titulos profert, quispiam ita explicare possit, ut Hesychius Milesius vel eius, quicumque fuerunt, auctores Demetrisano libro de ea orationis parte composito, quae inde ab Apollonio inter omnes grammaticos *ἀντωνυμία* vocabatur, hanc inscriptionem, ut solitam atque evolgatam, dederint, quamquam Demetrius ipse librum suum atque illam orationis partem aliter nominaverit. Hoc, inquam, quispiam coniecerit, sed vix probabiliter. Ixionem enim, quamquam Aristarchi sodalis fuit, pronomem *ἀντωνυμίαν* vocasse Comani exemplo verisimile est, qui, nisi Demetrio natu maior fuit, tamen non minor habendus est. Atque Apollonius, si ille pronomini aliud, quam *ἀντωνυμίας* nomen indidisset, cum alios minus notos citet grammaticos, ut Dionysodorum, etiam illius opinor fecisset mentionem.

De operis argumento in universum hoc potest dici Ixionem ut omnes fere veteres grammaticos Graecorum, quamquam omnino Graecae linguae pronomina tractabat, semper ab Homericis sermone profectum esse eoque rediisse. Testimonio sunt ea, quae aetatem tulerunt, fragmenta. Commemorat enim Apollonius (de pron. p. 374), ubi de



pronomine *σφωε* personali agit, etiam illius de hac re sententiam, qua *σφωε* secundam quoque dualis numeri personam significat. Exemplum huius significationis Ixion esse voluit: *ἀμφοτέρω γὰρ σφῶε φιλεῖ* II. H 280. K 552. Sequentibus autem verbis cum Homericis sermonis usu comparat Atticum: *καὶ ἔτι ὡς τῆ σφῶ ἐπὶ τρίτον νοουμένη τὸ ἔ προσέρχεται, οὕτω καὶ τῆ κατὰ τὸ δεύτερον πάλιν νοουμένη Ἀττικῆ* (cf. infra). Neque minus alterum fragmentum (Apoll. de pron. p. 362 B), ubi Od. δ 244 *αὐτὸν μιν* pro *αὐτόν* ἔ Ixion legere iubet, ad Homerum spectat. Praeterea ad illius librum videtur aliud frustum referendum esse, quod apud Apoll. l. l. p. 402 B—C sic legitur: *ἐίρηται ὡς τὸ ἦτοι γὰρ πατέρ' ἄμὸν ἴσον ἐστὶ τῷ ἡμέτερον, ἀλλ' οὐχ ὡς τινες ὑπέλαβον ἐκ τοῦ ἐμὸς μετειλῆσθαι κτλ.* Sub vocula *τινὲς* Demetrium latere prodit schol. A ad II. Z 414: *ἄμὸν] Δημήτριος φησὶν ἀντὶ τοῦ ἐμὸν· διὸ καὶ ἄντικρος φιλοῦ· πιθανώτερον δέ ἐστι Λωρικώτερον εἶναι, ἀντὶ τοῦ ἡμέτερον, ἄμὸν· οὕτως Ἀπολλώνιος.* Demetrium autem, qui hic citatur, non alium esse, quam Ixionem infra patebit (p. 29). Facile autem apparet eum ut in peculiari de pronomibus scripto opere, ita etiam in commentario Homericis de illo pronomine disserere potuisse<sup>1)</sup>. De dispositione argumenti atque ordine si ex tribus fragmentis quid colligere licet, auctor libri, ut Dionysius<sup>2)</sup>, duas saltem species pronominum distinxisse videtur: personalia et possessiva.

De pronomibus quoque peculiare opus primus videtur, quantum nos scimus, Demetrius condidisse, nisi Draco Straticensis, qui (Suid. s. v.) item *περὶ ἀντωνυμιῶν* scripsit, natu maior est. Hunc si Lehrsius pro Tryphonis aequale recte habet, (Zeitschr. f. Altertumswissenschaft. 1840 p. 934) ille primum tenet locum.

Artius inter se cohaerent tria, quae nunc tractanda sunt, scripta. Eorum enim quodque in singulis vocabulis

1) Cf. K. Lehrs Arist.<sup>2</sup> p. 30.

2) Steinthal, Gesch. d. Sprachwissenschaft bei den Griechen und Roemern. Berl. 1863 p. 663.

explicandis versatur, sed ita, ut primum originem propriamque notionem investiget, in ceteris duobus de eis disseratur, quae a lingua Graecorum omnium eruditorum communi vel recta consuetudine loquendi, quam *Ἑλληνισμὸν* vocabant, recedebant et aut Atticae dialecti aut Alexandrinae erant.

Demetrii igitur *ἐτυμολογία* vel *ἐτυμολογούμενα* apud Athenaeum III 74 b et II 50 b commemorantur. Etymologicis quaestionibus quisque fere grammaticus plus minusve operam dedisse videtur. Sed ob hanc ipsam rem mirum est, quod permultis in explicationibus illis etymologicis, quae et in scholiis et in lexicis adhuc exstant, pauci tantum grammatici nominantur, qui prae ceteris rebus de etymologia egerunt. Quare Lerschius (Sprachphilos. III p. 61), qui decem huc pertinentes grammaticos enumerat, multos omisisse minime putandus est. Et ante Demetrium quidem Ixionem unus Apollodorus *περὶ ἐτυμολογιῶν* scripsit. (Athen. XI p. 483 A., Orion s. v. *Κρηῆτες*.) Vanam autem operam consumerem, si doctrinam Ixionis etymologicam aliquo modo describere vellem. Paucissima enim frusta ad nos pervenere. In universum tamen certum est eum in etymologia neque meliora, neque peiora, quam ceteros praebuisse. Quod cognosces ex duobus Ixionis nomine insignitis fragmentis, quae aetatis suae signa prae se ferunt: Athen. III 76 b *σικύου* derivat ab verbis *σεύεσθαι* et *κίειν· ὀρητικὸν γάρ*, inquit, *ὑπάρχει*. Quod qui legit, paene putaverit eum iocari, sed serio loquitur. Neque alterum fragmentum discrepat ab ista veterum etymologia: Athen. II 50 b explicat *ἦλα* idem valere atque *μῆλα*. Litteram enim *μ* more illorum *ἀποβολῆ* interiisse videtur credere. Alia praeterea fragmenta, quae sub Demetrii nomine in Etymologico Magno et in Photii lexico feruntur, Ixionis esse verisimile mihi videtur. Ei sine mora tribuerem, si diserte adiectum esset: *ἐν ἐτυμολογίᾳ Δ. φησὶν*. Nam omnium homonymorum<sup>1)</sup> unus noster Demetrius peculiarem etymologicum librum edidit. Sed ex compluribus grammaticis, qui Demetrii nomen habebant, hic vel ille occasione data originem vo-

1) cf. Diog. L. V 84.

cabuli alicuius explicare potuit. Attamen quisque sibi persuasum habebit in eiusmodi etymologiis solo Demetrii nomine signatis, si alius Demetrii erant, quam Ixionis, accuratius auctorem debuisse denotari, cum nude Demetrio citato, quicumque illas legit, facere non posset, quin ad Ixionem referret. Hunc igitur intellegendum esse opinor Et. M. p. 574, 270: *Μαῦλις: ἡ μάχαιρα παρὰ τὸ μαῦρον, ὃ ἔστι τὸ ἀμανρὸν τῆ λαμπηρόνι. Δημήτριος δὲ παρὰ τὸ ὁμοῦ ἀλλίξεσθαι ὀμανλὶς ἀποβολῆ τοῦ ὀ.* Etymologia Ixione digna est et facile potuit ex Herodiani scriptis, quae, quamvis paucaeque mutilata servata sint, compluria Demetrii Ixionis fragmenta exhibere infra patebit, in Etymologicum M. manare, praesertim cum ex illo grammatico, qui post eum vixerunt, saepe tacite hausisse constet. Etiam, qui Cram. Anecd. Par. IV p. 189. vocis, quae est *Προῦνείκος*, significationem explicat, Demetrium eundem esse iudico atque Ixionem. Praeterquam enim quod, quaecumque solius Demetrii nomine notata sunt frustra etymologica, Ixioni probabiliter assignantur, accedit, quod ille simul cum aliis veteribus grammaticis, Alexione et Philoxeno, commemoratur. Etymologiae ipsi, qua *προῦνείκος* explicat *τοὺς διδόντας τὰ ὄνια, πρὶν λαβεῖν τιμὴν* minus offensionis inest, quam ceteris tribus, quas attulimus. Denique Ixionem intellego Phot. lex. s. v. *ὑπέρινος: ὑπερκεκαθαμένος· οὕτως Δημήτριος*. Quis enim ex Demetriorum numero praeter Ixionem studiis grammaticis atque etymologicis tantam famam sibi comparavit, ut cognomine omissa nude Demetrius appellari potuerit?

Commentationis, cui *Ἀττικαὶ λέξεις* inscriptum est, in scholio ad Aristoph. Av. 1569 mentio fit ibidemque unum, quod superest, fragmentum reperitur. Ad huius operis indolem ac naturam perspicendam nos paullo longius repetere opus est. Proprie igitur vocabulum, quod *λέξις* est, omnia verba comprehendebat, quibuscumque in dicendo utebantur. (cf. Graefenh. I p. 531. M. H. E. Meier opusce. II p. 10 n. 27.) Paullatim vero grammatici et rhetores illa voce, imprimis plurali numero posito, ea tantum verba significabant, quae ab usu et consuetudine recederent, ut *λέξις* magis magisque

*τῆς γλώσσης* synonymon fieret. Itaque in grammaticorum usu sermonis nihil fere interest inter *λέξεις* et *γλώσσας*, id quod etiam uno Ixionis scripti fragmento, quod adhuc exstat, confirmatur: *Δημ. ὁ Ἰξ. ἐν Ἀττικαῖς λέξεσιν ὡς γλώσσαν ἐξηγεῖται* sc. *τὸ Αἰσιποδίας*. Talium *λέξεων* vel *γλωσσῶν* collectiones diu non solum ante Demetrium fuerunt, sed etiam, antequam tota grammatica ad artem disciplinamque revocata est. (cf. M. H. E. Meier opusce. II p. 15.) Et quam multa genera sunt eorum vocabulorum, quae a lingua communi abhorrebant, tam multa fere sunt genera *λέξεων* et *γλωσσῶν*. Fuere igitur *λέξεις* vel *γλώσσαι* *Ἀττικαί, Λακωνικαί, τραγικαί, κωμικαί, ἔητορικαί, Πλάτωνος, Ὀμήρου* cet. (cf. Lersch Sprachphilos. III p. 63 sqq.), quae primordia lexicorum et onomasticorum, qualia posterioribus saeculis scripta sunt, fuerunt. Eiusmodi igitur *λέξεις* easque *Ἀττικὰς* Ixion collegit. Eadem in re ante eum Aristophanes Byzantius et Ister Callimachus, quorum *λέξεις Ἀττικαί* diserte memorantur, (cf. Lersch l. l. III p. 68.) et alii operam consumpserunt, plures post eum. (cf. Meier p. 38. sqq.) Neque mirum, si rei amplitudinem respicimus. Postquam enim Atticae dialecto, sermoni omnium eruditorum, *ἡ κοινή*, quae vocabatur, successit, ea, quae Atticorum propria erant et a communi lingua recedebant, colligi atque explicari opus erat. Hoc autem ab uno homine perfici non potuisse propter copiam Atticae dialecti paene immensam facile cognoscitur.

Libri, quem Demetrius Ixion de Alexandrinorum dialecto composuit, ab Athen. IX 48. p. 393. laudati nullum fragmentum, quod dialectum Alexandrinam attineat, servatum est. Nam quod de *ἄρτυγα* formae mediae syllabae quantitate, qualis apud Atticos sit, dicit, ita explicandum est, ut cum Attica Alexandrinorum huius vocis elocutionem comparaverit. Ut eiusmodi autem opus scriberet — primus, quantum comperimus, hoc quoque scripsit — eo tempore adductum eum esse puto, quo Alexandriae Aristarcho rectore studiis grammaticis operam dabat, ut tum, nisi opus confecit, tamen materiam congesserit<sup>1)</sup>. Et multum quidem

1) cf. p. 10 et 11.

Alexandrina dialectus a cetera lingua Graeca discedebat. Quod, si urbis totiusque terrae historiam respicimus, non mirum est. Cum enim Alexander urbis conditor magnam Iudaeorum coloniam in Aegyptum, imprimis Alexandriam, deduxisset, pari cum ipsis Macedonibus iure eis concesso etiam post Alexandri mortem ingentes Iudaeorum turbae partim ob seditiones in patria motas, partim terrae fertilitate invitati sua sponte in Aegyptum et Alexandriam se contulerunt. (cf. F. W. Sturz de dial. Maced. et Alexandrina. Lips. 1808. p. 3.) Qui Hebraica lingua magis magisque abiecta Graecam, qua sola ad commercium consuetudinemque cotidianam carere non poterant, didicerunt, sed multa in eam intulerunt cum verba Hebraica et Syriaca, tum structuras verborum ad Hebraicae linguae ingenium formatas. (cf. Sturz p. 23.) Praeter Iudaeos Aegyptii, quantumcunque erat, integritati Graecae linguae Alexandrinorum obfuerunt, deinde Macedones, denique ipsi Graeci, qui e variis variarum dialectorum regionibus Alexandriam confluebant. (cf. Bernhardy Hist. Gr. Litt. I p. 428.) Hac igitur de dialecto diversis ex elementis conglutinata Ixion egit. Verisimile est Demetrium ex dialecto ipsa, qualem cotidie audiebat, hausisse. Si quid ex fragmento concludi licet, cum Alexandrinam cum Attica dialecto conferat vel contulisse videatur, sic ut Irenaeus, qui post eum *περι τῆς Ἀλεξανδρέων διαλέκτου* scripsit (cf. Etym. M. s. v. *πυδαρίζειν*. Suid. s. v. *ΕΙρηναῖος* et *Πάκατος*), ex Attica eam derivasse putandus est, ut uterque in idem vitium inciderit. (cf. Bernhardy l. l.)

Paucis monendum videtur, Suida auctore Ixionem *ἐξηγησιν* i. e. commentarios ad Hesiodum scripsisse. Cuius operis nullum fragmentum ad nos pervenit neque usquam in scholiis Hesiodicis Demetrii Ixionis fit mentio. Hoc inde explicandum esse elucet, quod omnino scholia Hesiodica multo tenuiora paucioraque servata sunt, quam Homeri et Aristophanis. Ceterum Demetrium omnibus, quae ferebantur, Hesiodi carminibus aequalem impendisse curam Muetzellius (de emend. theog. Hesiod. lib. p. 291.) probabiliter negavit. In notissimis saltem carminibus Hesiodi (Theogoniam et

Opera dico) emendandis atque explicandis eum elaborasse credibile est. Ceterum vix illud opus est commemorare Ixionem non primum in Hesiodo interpretando operam collocasse. Ante eum enim Stoici, in quibus Zeno (cf. Flach, Glossen u. Scholien zur Hesiod. Theog. mit Proleg. p. 29 sqq.) et Chrysippus excellunt, eius carmina exposuerunt atque explanaverunt. Hac tamen in re cum allegoriae, id quod cum eorum placitis cohaerere videtur, magis, quam licet, faverent atque indulgerent, Alexandrini grammatici interpretationi philologiae, qualem hodie intellegimus, quasi viam aperuerunt. Quorum imprimis Zenodoti, Callimachi, Aristophanis adnotationes criticae, Apollonii Rhodii commentariorum tres libri, maxime autem Aristarchi *ἑπομνήματα* laudanda sunt. (cf. Flach l. l. p. 97.) Et huic critico Demetrium Ixionem, ut in ceteris suis operibus fecit, sese opposuisse eumque in Hesiodo quoque tractando explicandoque impugnasse licet ad similitudinem illorum magna cum veri specie dicere. (cf. Beccard p. 65.)

Maxima autem studiorum Demetrii pars in Homericis carminibus explicandis verbisque eorum recensendis ac restituendis versabatur. Testes sunt scripta eius, quae ab Hesychio apud Suidam et in scholiis Iliadis commemorantur duo vel tria: *ἐξηγησις εἰς Ὅμηρον, πρὸς τοὺς ἠθετημένους* (sc. *στίχους*), *πρὸς τὰς ἐξηγήσεις*. Duo vel tria dixi. Nova enim hic oritur difficultas. Et Beccardus quidem (de font. Hom. schol. etc. diss. Berol. p. 65. 1850.) primus coniecit *πρὸς τὰς ἐξηγήσεις* librum in Hom. scholiis citatum eundem esse atque *ἐξηγησιν εἰς Ὅμηρον* ab Suida laudatam eumque ceteri, ut La Rocheius (Hom. Textkr. p. 77.), A. Daubius (Studien zu den Biogr. etc. p. 88) secuti sunt. Qui opinionem suam quomodo probent, nescio. Sed si quid video, ad istam Suidae famosam segnitiam oscitantiamque auctorum exscribendorum redeunt (cf. La Roche l. l.), ut lexicographum negligenter *ἐξηγησις εἰς Ὅμηρον* pro *πρὸς τὰς ἐξηγήσεις* scripsisse putent. Attamen ex negligentia potissimum id, quod illorum sententiae contrarium est, collegerim Suidam in catalogo librorum Ixionis scriptum, quod est *πρὸς τὰς ἐξηγήσεις*, quod alteri similis vi-

deretur, una cum aliis titulis omisisse<sup>1)</sup>. Praeterea alio illi refutantur argumento. Eas enim, quae in scholiis servatae sunt, reliquias si respicimus, oportet ponamus Ixionis aut editionem aut commentarium criticum Homericum fuisse. Hoc ita se habere maxime ea fragmenta tibi persuadebunt, quibus dicitur *γράφει ὁ Ἰξίων*, velut *B 192 καὶ ὁ Σιδώνιος δὲ καὶ ὁ Ἰξίων οὕτως γράφουσιν. Ξ 316 ὁ δὲ Ἰξίων γράφει περιπλεχθεὶς. K 41* in uno codice (in Ven. A scholion corruptum est): *ὁ Ἰξίων γράφει* (sc. ἐστίν). Quibus locis *γράφει* ut diserte additum est, ita aliis est intellegendum: *K 124 ὁ Ἰξίων μέγ' ἐπέγρατο. 548 ἐπιμίσγομαι ὁ Ἰξίων ἀναμίσγομαι. ε 312 ἀλῶναι Ἰξίων ἀλέσθαι. ε 431 ἐπεσσύμενον, ὁ Ἰξίων ἀπεσσύμενον. ε 490 αἶοι ὁ Ἰξίων αἶη.* — Iam verbum, quod est *γράφει*, de editionibus potissimum cum usurpetur, tamen, ut recte La Rochius (Hom. Textkr. p. 78) vidit, Ixionis editionem Homericam fuisse inde concludere non licet. Mirum enim, opinor, est, cur *B 192 καὶ ἡ Ἀριστοφάνειος καὶ ἡ Σιδωνίου καὶ ἡ τοῦ Ἰξίωνος* legatur pro eo, quod nunc scholion exhibet: *καὶ αἱ πλείονες δὲ τῶν χαριεστάτων οὕτως εἶχον καὶ ἡ Ἀριστοφάνειος καὶ ὁ Σιδώνιος δὲ καὶ ὁ Ἰξίων οὕτως γράφουσιν.* Similiter si editionem a Demetrio paratam esse statuimus, offendimur scholio *K 124*, quod nunc tale est: *ὁ Ἰξίων μέγ' ἐπέγρατο. καὶ μήποτε ἡ Ἀριστοφάνειος οὕτως εἶχεν.* Hic aut *ἡ Ἰξίωνος* exspectamus, cum statim sequatur *καὶ ἡ Ἀριστοφάνειος*, aut e contrario si *ὁ Ἰξίων* retinetur, *καὶ μήποτε ὁ Ἀριστοφάνειος οὕτως ἔγραψεν.* Quibus locis apparet, ut mihi quidem videtur, consilio editiones distingui ab aliis, quae ad Homerum spectent, scriptis. Itaque Ixionis editionem Homeri carminum fuisse cum nequeat demonstrari, quaestionem *γράφει* verbo ortam ita optime absolvemus, ut commentarium criticum a grammatico editum esse ponamus, quo Homerum non solum ad sensum sententiarumque connexum explicaret atque interpretaretur, sed etiam scripturas, ubi displicerent, mutaret et, quod quidem ipsi videretur, emendaret, mutatas et emendatas ex-

1) cf. p. 12 sq.

poneret ac defenderet. (cf. Eustath. ad *E 31*.) Et hunc commentarium criticum opinor eundem esse atque *ἐξήγησιν εἰς Ὅμηρον*, quam Suidas inter Demetrii scripta enumerat. Hac ratiocinatione neque editionem ei tribuimus et illud *γράφει* optime explicamus.

Iam, ut editiones, recensiones, commentarii critici vocula *γράφει* indicantur, ita commentationes, dissertationes, scripta peculiariora solent verbo, quod est *προφέρεται*, significari: cf. scholia cod. Ven. A: *A 524: Ἀριστοφάνειος ἐν τοῖς πρὸς Φιλιππῶν προφέρεται. B 435: Καλλίστρατος δὲ ἐν τῷ ἅ περι Ἰλιάδος οὕτως προφέρεται. B 798: οὕτως αἱ Ἀριστοφάνειος... καὶ ἐν τοῖς πρὸς Κομανῶν ὁμοίως προφέρεται. Θ 513: αἱ Ἀριστοφάνειος πέσσοι. Παρμενίσκος δὲ ἐν τῷ ἅ πρὸς Κράτηρα ὡς Ἀριστοφάνειος προφέρεται κτλ. I 349. 350: ἐν τῷ περι Ἰλιάδος καὶ Οδυσσεύς ὁ Ἀριστοφάνειος προφέρεται κτλ.* cf. La Roche Hom. Textkr. p. 56 de scholio A ad *B 435*. Eadem ratione etiam duae Ixionis commentationes notantur *πρὸς τοὺς ἠθετημένους* schol. A ad *Z 437* et ea, quam nunc tractamus, *πρὸς τὰς ἐξηγήσεις trium*, quibus omnino commemoratur, locorum duobus: schol. A ad *Γ 18: καὶ ὁ Ἰξίων ἐν τῷ πρώτῳ πρὸς τὰς ἐξηγήσεις οὕτως προφέρεται* et *Z 171: Ἰξίων ἐν τῷ πρώτῳ πρὸς τὰς ἐξηγήσεις προφέρεται*. Tertio, qui corruptus est, *προφέρεται* fortasse subaudiendum est. (sch. A ad *A 423*.) Igitur hoc quoque verbum argumento est Ixionis *ἐξήγησιν εἰς Ὅμηρον* et opus *πρὸς τὰς ἐξηγήσεις* segreganda esse, non unum idemque fuisse opus, ut Beccardus coniecit.

De commentario nunc non opus est longius disserere, cum eius fragmenta infra, ubi in fine dissertationis universa eorum, quae Demetrius in grammaticis rebus praestitit, imago proponetur, afferenda sint. Id autem iam nunc commemoro *ἐξήγησιν εἰς Ὅμηρον* et ad *Iliada* et ad *Odysseam* pertinuisse, cum non solum ex illa, sed etiam ex hac nonnullae reliquiae supersint.

Contra commentationes duas Homericas accuratius nunc inspiciamus.

Ac primum quidem ea, cui *πρὸς τοὺς ἠθετημένους* (sc. *στίχους*) inscriptum est, tractetur. Quae quale con-

silium habuerit, et ex inscriptione et ex similibus aliorum grammaticorum scriptis comperimus. Praeter Ixionis enim tales libri fuere Callistrati Aristophanei *πρὸς τὰς ἀθετήσεις* (sch. A ad II. A 423), Pii *πρὸς τὰς ἀθετήσεις* (sch. BL ad M 175), Zenodoti Mallotae *πρὸς τὰ ἐπ' Ἀριστάρχον ἀθετούμενα*. (cf. Schrader, Porphyrii quaest. Hom. reliq. p. 428. 437.) Zenodotei igitur libri ex titulo, qualem apud Suidam (s. v. Ζην.) legimus, cognoscimus Aristarchi athe-teses Homericas impugnatas esse. (cf. Lehrs de Arist. stud. Hom. 1865. p. 349.) Exemplum huius rei est fragmentum Pii operis ad Z 175—180 servatum. Pius igitur sex illos versus, qui cum ab Aristophane, tum ab Aristarcho spurii obelo notati erant, contra hunc ita defendit, ut Aristarchi argumenta suis ipsius argumentis, satis infirmis ineptisque, studeat refutare. Ceterum hic compluries Aristarchi athe-teses aggressus est. (cf. E. Hiller: Der Grammatiker Pius und die ἀπολογία πρὸς τὰς ἀθετήσεις Ἀριστάρχου.<sup>1</sup>) Iam ut Zenodotus et Pius, ita Callistratus et Demetrius Ixion versus ab Aristarcho potissimum damnatos defendisse putandi sunt. Quod cum inde verisimillimum est, quod uterque illius ad-versarius fuit, tum de Demetrio ex eius fragmento elucet. Id enim intra eos septem versus, quos Aristarchus pro suppositiciis habuit, exstat: Z 437. Sed non tale est, ut, qua ratione ille hunc locum contra Aristarchum tuitus sit, videamus. Neque enim quidquam continet, nisi Ixionis ex scripto *πρὸς τοὺς ἠθετημένους* citatam lectionem ad v. Z 437. Hoc loco cavendum est, ne quis ea, quibus versus illos ab Aristarcho reiectos auctor scholii B retinere studet, argumenta Demetrii esse censeat. Cum enim hic et Callistratus et Zenodotus aurea, ut ita dicam, artis grammaticae aetate vixerint, credere licet eorum argumenta meliora fuisse, quam Pii, — nam eius sunt (cf. Hiller. l. l. p. 97.) — qui tertiū saeculi initio assignandus est. (cf. Hiller. l. l. p. 94.)

Item in Aristarchum altera commentatio scripta erat, *πρὸς τὰς ἐξηγήσεις*, ut ex similitudine tituli eius, qui praecessit, libri colligendum est, quamquam ab tali auctoris

1) Philol. 1869 pp. 86—115.

consilio voluntateque minime abhorret, quod interdum de hac vel illa quaestione Ixion cum illo congruit eique assentitur, velut Γ 18. Sed nisi disertis verbis consensio inter Aristarchum et Demetrium confirmatur, rectius dissensionem fuisse statuemus. De forma scripti ac dispositione hoc unum certum est sex minimum libros fuisse. (cf. schol. A ad A 423.) Hinc, quod sextus liber ad primum Iliadis et primus in scholl. ad tertium et sextum Iliadis (Γ 18 et Ζ 171) laudatur, efficitur ordinem non eum fuisse, ut singulae Iliadis rhapsodiae — num commentatio etiam Odysseam amplexa sit, in dubio est — deinceps, ut in commentariis fit, tractarentur, sed, qualis fuerit, atque opus num pluribus, quam sex libris constiterit, non possumus explorare. Hac autem commentatione praeter *ἐξηγήσιν εἰς Ὅμηρον* Ixion quid sibi voluerit, quaerentibus nobis maxime id persecutus esse videtur, ut Aristarchi interpretationes refelleret eisque suas, ut meliores, opponeret, fortasse etiam axiomata primasque quasi leges omnis eius interpretationis statueret atque explicaret, cuius patrocinium ab Crateteis in Aristarcho suscipiebatur. Contra in *ἐξηγήσει* Homerum ita explanavisse et interpretatus esse putandus est, ut quamvis saepe ab Aristarcho discederet, tamen eius explicationes non longioribus factis digressionibus impugnet, id quod caput summae commentationis fuerat, sed, quae displicerent, mutaret et brevius Aristarchum perstringens ac refutans, ut in commentario ad Aristophanem fecit (cf. ad Ran. 970 et 990), ex sua sententia scriberet vel exponeret. (cf. p. 20.) Libris igitur *πρὸς τὰς ἐξηγήσεις* praemissis commentario quasi viam munivisse videtur. Similis quodammodo ratio inter Aristarchi *ἐπομνήματα* et *συγγράμματα*, in quibus est *περὶ Ἰλιάδος καὶ Ὀδυσσεύς* (La Roche Hom. Textkr. p. 58), intercedit et Callistrati inter *διορθωτικὰ* et *περὶ Ἰλιάδος*. (La Roche l. l. p. 68.) Ceterum veteres grammatici eadem argumenta diversis operibus tractare minime verebantur.

Haec de Demetrii Ixionis, quae ad Homerum spectant, operibus. Ad Aristophanem quoque poetam eius studia pertinuisse, cum disertis verbis traditum non sit, tamen ex

reliquiis, quae in scholiis Aristophaneis adhuc exstant, elucet. Sed plerumque ibi Demetrius cognomine omissio citatur, ut quaerendum sit, utrum Ixion sit an homonymus. Nam praeter eum Demetrius Phalereus (ad Nub. 37) et Demetrius Zenodoteus (ad Pac. 123) in iisdem scholiis commemorantur. Tertium Troezenium Demetrium propter Athenaei verba I p. 29. A: *ἔτι Ἀριστοφάνους τὰς δευτέρας Θεσμοφοριαζούσας Δημήτριος ὁ Τροιζήνιος Θεσμοφοριασάσας ἐπιγράφει* (cf. O. Schneider: De vet. in Aristoph. schol. font. Sundiae 1838 p. 90.) operam suam et studium in Aristophane collocasse aliquis putaverit. — Quaestio ex fragmentis decernenda est. Demetrius igitur Ixion diserte ad Av. v. 1569. et ad Ran. v. 308. ad partes vocatur, ibi autem ex libro *Ἀττικαὶ λέξεις* inscripto, ut ad eam fabulam ab illo commentarium compositum esse inde colligere non liceat. Aliter res se habet, quod ad Ranas attinet. Hic enim Ixionis ad v. 308. (*ὁδὶ δὲ δείσας ὑπερεπυρρῖασέ σου*) interpretatio affertur, cuius totus color commentarium prodit. Hoc scholion ideo quoque notabile est, quod ex eo cognoscitur Ixionem in Aristophaneis scholiis etiam nude Demetrium appellari. Namque cum initio Ixion legatur, eiusdem adnotationis in fine Demetrius dicitur et ita quidem, ut sub utroque nomine eundem grammaticum latere extra dubitationem positum sit. Quod ita se habere infra, ubi in fragmentorum collectione totum ad v. 308. scholion adscripsi, ipse tibi persuadeas. Aliud autem testimonium, quo certissime Ixionem huic fabulae explicandae atque interpretandae operam navasse evincitur, est schol. ad Ran. 191 inde a verbis *διάφοροι αἱ γραφαί· οἱ μὲν γὰρ κρεῶν, ὡς Ἀρίσταρχός φησιν κτλ.* usque ad *ἕτεροι δὲ φασιν αἰνίττεσθαι τὴν περὶ Ἀργινοῦσαν ναυμαχίαν, ἣν διὰ τοὺς νεκροὺς ἠγωνίσαντο, τὴν δευτέραν γραφὴν αἰρούμενοι* sc. *τὴν περὶ τῶν νεκρῶν*, ut ex priore scholii parte videmus. Voce enim, quae est *ἕτεροι*, Demetrium significari apparet ex Phot. lex. s. v. *κρέας*: *ὁ Ἰξίων γράφει τὴν περὶ τῶν νεκρῶν· τῶν ἐν Ἀργινοῦσαις ἀτάφων, ὑπὲρ ὧν ἀνηρέθησαν οἱ στρατηγοί* et inde, quod *ἕτεροι* Aristarcho oppositum est. Didymum enim, ad quem totum scholion redire videtur, Aristarchum et Ixionem iuxta

collocare solitum esse ex scholiis ad Homeri Iliada (A 423. B 192. Γ 18. Θ 103. Κ 124. Ξ 221.) didicimus. Ad eundem redire puto scholl. ad Ran. 970 et 990, ubi primus Aristarchus, deinde Demetrius, tertius Didymus memoratur, quod ita explicandum est: *Sýmmachus* vel, quicumque scholia Aristophanea in corpus redegit, (cf. O. Schneider l. 1. p. 86 sqq.) sua ex Didymo sumpsit, cuius in *λέξεις κωμικὰς* Aristarchi et Ixionis ad Aristophanem adnotationes Didymeis auctae receptae erant. His autem posterioribus ille, cum scholia vetera componeret, auctoris Didymi nomen adiecit. Itaque etiam his duobus locis Demetrius Aristarcho adversatur, ut et hanc ob rem et quod a Didymo laudatur, eum eundem esse atque Ixionem manifestum sit. Iam cum in septem ad Ran. scholiis, in quibus Demetrii mentio fit, quater Ixion intellegendus sit, etiam ceteras tres adnotationes, quae sub Demetrii nomine ad illam fabulam feruntur, ei assignandas esse iudico. Et quaeque earum, si accuratius inquiris, commentarium redolet, maxime, quae ad v. 184. reperitur, quem versum (*Χαῖρ' ὦ Χάρων, χαῖρ' ὦ Χάρων, χαῖρ' ὦ Χάρων*) ex Achaeo tragico poeta originem deducere Demetrius nos docet. Neque magis ab illo abhorret, quod ad v. 79. *κώδωσιν δοκιμάζειν*, quod in proverbium abiisse videtur, exponit et id, quod ad v. 1196. de Erasinida adnotat. Hoc loco dubitationem alicui iniicere possit, quod paullo ante Philochorus historicus citatur: idem in Demetrii ad Vesp. v. 240. scholion cadit, ubi item, quamquam post illum, *οἱ περὶ Φιλόχορον* laudantur. Utroque loco propter historicum adnotationum argumentum quispiam opinari possit eas Phalerei esse, praesertim cum huius fragmentum, quod ad historiam Atticam pertinet — agitur enim de demarchis a Solone institutis — ad Nub. v. 37. exstet. Sed si duos illos locos inspicias, optime eos ad commentarium Aristophaneum Demetrii Ixionis referri posse concedes. In versibus enim 1196. sq., qui sunt *εὐδαίμων ἄρ' ἦν, εἰ κάστρα τήγησέν γε μετ' Ἐρασινίδου* Erasinidas, quis fuerit, quid egerit, quare, ut homo infelix, illudatur, lectores instruere iusti probique est interpretis. Etenim ille ita ab Aristophane perstringitur, ut Athenienses tum, cum fabula agebatur,

quid illo nomine designaretur, facile perspicere, non ii, qui centum vel pluribus post annis illam legerent. Neque minus Vesp. v. 240. verba, quae sunt *ἐγρονῶμεν, ὡς ἔσται Λάχρη νυβί*, nisi poetae aequalibus, nemini per se ipsa perspicua, exponenda erant. Hoc Demetrius Ixion cum faceret, utroque loco historiam Atheniensium reipublicae attingere debuit, quare horum argumentum scholiorum minime offensionis est. Ut vero omnia fragmenta, quae ad Aristophanem spectant ac solo Demetrii nomine insignita sunt, Ixioni tribuenda esse veri simillimum putemus, ceteris causis omissis eo adducimur, quod omnium homonymorum, qui in censum veniunt, Troezenii, Zenodotei, Phalerei, nostri — nam Phalereus in grammaticis rebus aut scriptoribus exponendis minime excellebat — facile praestantissimus est, quem in scholiis ad poetas pertinentibus solum nude Demetrium vocare licebat. Ceteris illis, ut satis distincte secererentur, neque, ubi de Aristophane potissimum ageretur, cum Ixione confunderentur, cognomen addi debebat, ut l. l. factum est. Demetrius igitur Ixion, quod quidem ex scholiis nostris appareat, ad Ranas et Vespas commentarios condidit. Sed, ut ad Vespas unum restat fragmentum, ita ea, quae in scholiis ad ceteras fabulas vel nonnullas earum inerant, fragmenta aut interire aut auctoris nomine privari poterant, ut hodie ea eruere vix possimus. Attamen, quantulacunque eorum, quae Demetrius in Aristophane interpretando praestitit, fragmenta hodie supersunt, tamen ex eis elucet, quanta eius tragicorum et comicorum poetarum scientia fuerit. Testes sunt schol. ad Ran. 184, ubi *χαῖρ' ὃ Χάρων* ter repetitum ex Aethone originem ducere adnotat, deinde schol. ad v. 308., ubi antiquae comoediae usum moremque attingit, quo spectatores irridentur, exemplique gratia Platonem et Eupolin comicos commemorat. Eiusdem Platonis in adnotatione ad v. 990. facta mentionem facit, cum ei fabulam, cui *Μαμμάκονθοι* inscribatur, ab nonnullis tribui dicat.

Postquam singula scripta percensuimus, non iniucundum videtur, sed operae pretium esse, illa quatenus a grammaticis, qui post Ixionem fuerunt, usurpata sint, eique quid

omnino de hoc grammatico criticoque existimaverint, exquirere. Sed hoc ad perficiendum nonnulla de eis fragmentis praemitti opus est, quibus solum Demetrii nomen additum est. Neque enim antea, ad sententiam de Demetrii apud posteriores auctoritate ferendam progredi possumus, quam constituerimus, utrum illa ad Ixionem an ad alios homonymos grammaticos sint referenda. Recensu autem, quem nunc agemus, quicumque ad Aristophanem et etymologiam spectant loci, quippe qui supra (pp. 26.—28. et pp. 17. 18.) examinati sint, eximentur.

Exquirendum igitur est ante omnia, apud quem auctorem unum quodque fragmentum inveniatur. Quodsi ab Herodiano incipimus<sup>1)</sup>, ad quem tria fragmenta prosodiaca referenda sunt, perpauca Demetrii in censum veniunt. Fragmenta haec sunt: sch. AB ad Z 414: *ἀμὸν] Δημήτριος γησὴν ἀντὶ τοῦ ἐμὸν*. cf. Lentz II p. 57, 19 = I p. 541, 16. — sch. A ad Ξ 221: *Δημήτριος γενέσθαι ἀντὶ τοῦ γενήσθαι κτλ.* cf. Lentz II p. 89, 35 = p. 815, 30. — Cram. A. O. I p. 378. ad A 171: *Δημήτριος δὲ ἐπὶ τοῦ Πολυδάριον τὸν δὲ συνδεδεμὸν ἐδέξαστο κτλ.* cf. Lentz II p. 285, 27. — Perpauca, inquam, sunt. A Diogene enim Laertio (V 83—85) viginti Demetrii *ἄξιολόγους* enumerante praeter Ixionem in grammaticis nobilibus tres Demetrii ducuntur: Scepsius, Cyrenaeus, Erythraeus. Quorum duo posteriores in scholl. Hom. inveniuntur nusquam, Scepsius nonnunquam, sed in eis tantum, quae haud dubie ex eius libro, qui *διάκοσμος Τρωικός* inscriptus erat, hausta sunt. (Loci sunt Ξ 229. Υ 3. 53. Z 35. A 757. cf. Gaede: De Demetrio Scepsio. diss. Gryph.

1) In Herodiani reliquiis, quales Lentzius edidit, ex Stephano Byzantio complures exstant loci Demetrii nomine insigniti. Eos autem non ad Herodianum referendos esse inde sequitur, quod Herodianus in geographicis (nam illi loci omnes geographicam spectant) Stephani fontibus omnino non numerandus est. cf. E. Hiller. Jahrb. f. cl. philol. 1871 p. 524 sqq. — Sed etiamsi Herodiani illi loci essent, tamen hic, quod geographici argumenti sunt, non essent commemorandi. Immo, ut geographici, haud dubie Demetrio Magneti tribuendi sunt, quare Scheurleer in collectionem huius grammatici fragmentorum (diss. Lugd. Bat. 1858: De Demetrio Magnete) eos suo iure omnes recepit.



1880.) Itaque restat unus Demetrius Gonypesus, qui in scholl. Hom. ter, atque bis quidem (N 137 et O 233) in scholiis Ven. A, laudatur, (cf. La Roche Hom. Textkr. p. 177. n. 202.) quibus ex locis O 233 ad prosodiam spectat. (Herod. ed. Lentz II 61, 15.) Sed hic Demetrius cum aliunde ignotus sit, Ixion autem omnium homonymorum grammaticorum in scholl. Hom. saepissime citetur, ab Herodiano Demetrius Ixion i. e. cognomine addito ter commemoretur, (scholl. ad A 513. E 31. Cram. A. O. I. p. 373) vel hac ratione verisimile est illis tribus locis hunc significari. Namque, si Herodianus Gonypesum intellegi voluisset, hominem minus notum cognomine accuratius distinxisset. Accedit, quod unum ex tribus illis prosodiis fragmentis aliis argumentis satis certo Ixioni tribuitur. Est sch. ad E 221, ubi in Ven. A haec verba leguntur: ἀπρηκτόν γε νέεσθαι) τουτέστι πορεύεσθαι· οὕτως Ἀρίσταρχος Ἀημήτριος δὲ γενέεσθαι ἀντι τοῦ γενήσεσθαι, βιαίως πάν. Hic quis potest maiore cum probabilitate intellegi, quam Ixion, quem ab Aristarcho saepissime recessisse constat? Et optime, si Ixionis est explicatio, quadrat Herodiani de ea sententia, cum βιαίως illum egisse adiciat, quod idem Apollonius de pron. p. 374 iudicat: Βίαιος δ' Ἰξίων ἐστὶ κτλ.

Simili ratione in scholio AD ad O 194, quod ex Didymi de Aristarchea Homeri carminum recensione derivatum haec continet: τῷ ῥα καὶ οὐτι βέομαι] διὸ οὐκ ἂν κατὰ τὴν αὐτοῦ γνώμην βιώσομαι... Ἀημήτριος δὲ ἀποβήσομαι, εἶξω Ixionem intellegendum esse probabimus. Initium enim scholii Aristarchi sententiam exhibet, ut apparet ex sch. BL ad X 431: τί νῦν βείομαι] Ἀρίσταρχος διὰ τοῦ ἰ γράφει, ἵν' ἡ πῶς βιώσομαι, τινὲς δὲ ἀντι τοῦ πῶς ἀποβήσομαι. Horum igitur alterum scholion ex altero intellegendum est, cum ibi Aristarchi, hic Demetrii nomen, quod sub τινὲς vocula latet, omissum sit. Aliis locis, qui Demetrii cuiusdam scripturam vel potius interpretationem exhibent, signum illud deest, quo Demetrium eundem esse atque Ixionem cognoscamus, cum Aristarchi nulla adnotatio aut servata sit aut aliunde aperiri possit. Talis locus est sch. AB ad N 5: ἄγαυοι ὄνομα ἔθνος... Ἀημήτριος δὲ

ἀγαυοὺς τοὺς εὐειδεῖς. Egit de versibus quinto et sexto illius rhapsodiae Aristarchus, ut ex Apoll. lex. Hom. 3,16 (Bekker) videmus, sed, quae illius hic traditur, explicatio versatur in nomine Ἀβίων. Quamquam nihil impedit, quo minus Ixioni verba illa vindicemus, quippe qui, cum notissimus homonymorum esset, facillime nude Demetrius appellari potuerit atque unus ex illis, quod quidem sciamus, ἐξήγησιν εἰς Ὅμηρον scripserit. Eadem de causa Demetrium Ixionem intellegemus in schol. ad σ 17: Ἀημήτριος δὲ γησιν ὅτι ἀττικίζων ὁ ποιητὴς ἀντι τοῦ δέξεται χεῖσεται εἶπεν. Praeter nostrum in scholiis Odysseae semel Phalereus citatur ad γ 267, quae adnotatio, ut Buttmannus et Dindorfius recte monent, ex illius libro deperdito, quem de poetis composuerat, excerpta est. Totus autem habitus scholii colorque — inest de Menelao narratiuncula, qui una cum Ulyxe Delphos proficiscitur, ut deum consulat, quem finem expeditio Troiana habitura sit — abhorret ab indole ac natura Ixionis interpretationis atque ab eius Demetrii, cuius illa ad σ 17. adnotatio est. Contra haec, ut mihi quidem videtur, talis est, ut Ixioni optime assignari possit. Eius enim ἐξήγησιν εἰς Ὅμηρον etiam Odysseam amplexam esse ex titulo concludere licet. Iam unum restat scholion ex cod. Vict. editum, ad II 411: αὐτὰς ἔπειτ' Ἐρύλων ἐπεσσύμενον βάλε πέτρον, cuius versus difficultas in eo posita est, quod Patroclus, qui de curru pugnat, unde lapidem habeat, ex eis, quae praecedunt, non patet. Res priore parte scholii sic exponitur: κατῆλθεν ἐκ τοῦ δίφρου κατὰ τὸ σιωπώμενον. Sequitur Demetrii explicatio: Ἀημήτριος δὲ κτλ. Haec reiicitur, illa comprobatur: ἄμεινον δὲ λέγειν, ὅτι νῦν μὲν κατῆλθε κατὰ σιωπώμενον, εἶτα μετὰ τὸ πληῖσαι τὸν Ἐρύλων πάλιν ἀναβεβημένοι. Quae interpretatio nescio an Aristarchi sit, qui de multis difficilibus locis eisque, qui ab aliis interpretibus spurii habebantur, notum illud protulit iudicium: fieri nonnulla apud Homerum, quae non diserte dicantur, sed ex consequenti cognoscantur. πολλὰ κατὰ συμπέρασμα λέγει ὁ ποιητὴς σιωπωμένως γεγονότα. (II 432). (Lehrs Arist.<sup>2</sup> p. 341.) Quodsi recte iudicavi,



hic quoque Aristarcheae Demetriae explicatio opponitur i. e. Ixionis<sup>1)</sup>.

Nunc eis, quae ad Demetrium Ixionem referenda sunt, constitutis, quantum hoc subsidiis, quae hodie suppeditant, fieri potuit, ad illud exsequendum licet aggredi, quod supra nobis proposuimus, ut de Ixionis apud grammaticos posteriorum temporum auctoritate disseramus, quocum id penitus cohaeret, ut exponatur, a quibus eius opera usurpata sint.

Ac primum quidem eorum locum Apollodorus tenet, Ixionis fere aequalis. Apollodoro enim Strabonem geographum in libris VIII.—X. imprimis esse usum Niesii opera probatum est. (cf. Rh. Mus. 32 p. 281.) Iam Strabonis verba VIII 7 p. 370: *τοῦτο (πολυδίψιον) ἦτοι ἀντὶ τοῦ πολυπόθηνον κείται ἢ χωρὶς τοῦ δ' πολυδίψιον . . . . . καὶ σὲν τῷ δ' δὲ ὑπερβάτως δέχονται τινες κατὰ συναλοισίην μετὰ τοῦ συνδέσμου τοῦ δέ, ἢ ἢ οὕτως 'καὶ κεν ἐλέγχιστος πολὺ δ' ἴψιον Ἄργος ἰκοίμην' [ἢ] πολυδίψιον Ἄργος δὲ ἰκοίμην ἀντὶ τοῦ 'εἰς Ἄργος' si cum eis conferes, quae apud Cramerum A. O. I. p. 378 ad A 171 leguntur: *Δημήτριος δὲ ἐπὶ τοῦ Πολυδίψιον τὸν 'δὲ' συνδέσμον ἐδέξατο καὶ κατὰ ὑπερθεσιν ἐλάμβανε, ὅπερ σπάνιον ἐστὶ καὶ κεν ἐλέγχιστος πολυδίψιον Ἄργος ἰκοίμην' ἢ ἢ Ἄργος δέ* — non negabis ea, quae Strabo profert, ad Demetrium referenda esse. At non ex hoc ipso ille hausit, sed ex Apollodoro, quem Ixionis opera in suis ipsius condendis respexisse minime mirum est. (cf. Niese l. l. p. 271. cum adn.) — De *τινές* vide schol. B ad E 221 et schol. A ibid., schol. A ad O 194 et schol. B ad X 431. cf. etiam infra schol. Ar. Ran. 191 et Phot. lex. s. v. *κρέας*. Quod autem Demetrius Ixion apud Strabonem vel ab Apollodoro non nominatur, ex toto veterum citandi genere haud diligenti explanandum est.*

1) Adn. Minime me fugit, quod K. Lehrs Arist.<sup>2</sup> p. 31 de codicis Vict. et Lips. fide dixit: immo ex eius sententia me egisse spero, cum Victoriano 'nullum unum verbum crederem'. Sed ne id quidem putavi 'nullum ei inesse verum verbum', quod ne faciamus ille vir praestantissimus nos ipse admonet. Et nostro quidem loco in iis, quae codex habet, causa offendendi certe non exstat.

Deinde Tryphon Ixionem adiit, ut ex Apoll. de pron. p. 374 sequitur: *Τρύφων συγκατατιθέμενος τῷ Ἰξιωνί γρησι κτλ.* (cf. supra p. 7 sq.) Tum Didymus libros, qui ad Homerum spectant, inspexit ex eis hausit. Quamquam enim duas commentationes solas, quae sunt *πρὸς τὰς ἐξηγήσεις* et *πρὸς τοὺς ἠθετημένους* nominatim commemorat, tamen ex illo *γράφει* (cf. p. 22) efficitur eum commentariis i. e. *ἐξηγήσει εἰς Ὅμηρον* in opere *περὶ τῆς Ἀριστοταχείου διορθώσεως* condendo usum esse. — Didymo natu minor fuit (cf. Westermann in Paulyi Realencycl. ed. W. S. Teuffel. Stuttg. 1863. I 2 p. 1319) Apollonius Sophista, Archibii F., qui item Demetrium Ixionem adiit (cf. lex. Hom. s. v. *πῆ* Bekk. p. 131, 9). — Praeter eo Nicanor in libro *περὶ τῆς Ὀδυσσειακῆς στιγμῆς* Ixionis rationem habuit (cf. fragm. Nican. ed. O. Carnuth β 96). Etiam Ptolemaeus Ascalonitae Ixionis opera inspexisse patet ex eius annotatione ad Γ 35 (cf. infra in coll. fr.). Denique huc pertinent Apollonius Dyscolus (de pron. pp. 362. 374. 402.), Herodianus (A 513. Γ 35. Δ 171. E 31. Z 414. Ξ 221.), Athenaeus (II 50. III 74. IX 48.). Quae in Etymologicis, Anecdoticis, apud Eustathium leguntur, ad Herodianum referenda sunt, cuius notae etiam commentariis Herodori et Apionis, quibus Eustathius (cf. ad E 31: *ἰστέον δέ, ὡς ἐν τοῖς Ἀπίωνος καὶ Ἡροδώρου φέρεται . . . , ὅτι δ' γραμματικὸς Ἰξιων κτλ.*) usus est, continebantur. (Lehrs Arist.<sup>2</sup> p. 373.) Duorum autem, quae in Photii lexico leguntur, Demetrii fragmentorum (s. vv. *κρέας* et *ὑπέρινος*) prius, quod cum altera parte schol. Ar. Ran. 191 congruit, ex scholiis, qualia nobis suppeditant, Aristophaneis fluxisse minorem probabilitatis speciem propterea habet, quod in scholiis nomen auctoris omissum est. Unum igitur fontem fuisse et Photio et scholiis veri similis est. Et illius quidem copiae non minus ex Didymi comico lexico vel commentariis derivatae sunt, quam in scholiis Aristophaneis multa insunt Didymea (cf. Naber praef. Photii lex. p. 89 et supra p. 27). Item ceterae Demetrii ad Aristophanem adnotationes a Symmacho ex Didymi operibus sumpta sunt (cf. p. 25). Altera, quae apud Photium exstat, *ὑπέρινος*

vocis explicatio ex Herodiano fluxisse videtur. — Itaque, ut complectar, Demetrium Ixionem adierunt Apollodorus, Trypho, Didymus, Apollonius Sophista, Nicanor, Apollonius Dyscolus, Herodianus, Athenaeus.

Nunc paucis referamus, quid posteriores de Ixione iudicaverint. Et maximam partem quidem Demetrii placitis non faverunt aut assensi sunt: Herodianus et Apollonius Dyscolus male de eo loquuntur: ille sch. Ξ 221: πάνν βιαίως, aut certe ab eo discedit: E 31... οὐχ οὕτως δὲ ἔχει ἢ παράδοσις, A 171... ὅπερ σπανιὸν ἐστίν, Z 414 sch. B, ubi Apollonii sententiam magis probat, quam Demetrii (cf. de hoc scholio p. 43.); hic de pron. p. 374: Βίαιος ὁ Ἰξίων ἐστίν κτλ. Didymus Demetrii lectionum, quantum hodie videmus, non agit censuram, nisi huc refert sch. K 124: καὶ μήποτε ἢ Ἀριστάρχειος οὕτως εἶχεν sc. ut Ixion, unde effici videtur Didymo illam lectionem placuisse, sed cf. p. 35. Alioquin nihil facit, nisi Ixionis scripturas cum ceterorum insignium grammaticorum aetatis Aristarcheae collocat. — Nicanor, quo uno loco Ixionis meminit (sch. β 96), cum Diouysii Thracis sententiam sequatur, discedit a Demetrio. Ptolemaeus autem Ascalonita eum propter usum loquendi Homericum neglectum reprehendit (Cram. A. O. I. p. 373 ad Γ 35). Neque, quae ad Aristophanem explicandum Demetrius scripsit, si quidem epitomator iudicium de iis profert, id quod plerumque non fit, comprobantur, sed repudiantur. Cf. ad Ran. 191: οὐκ ἔχει δὲ νοῦν τὸ λεγόμενον sc. Ixionis scriptura, quae erat τὴν περὶ τῶν νεκρῶν, v. Phot. lex. s. κρέας. Assensus est Ixioni unus Trypho Apoll. de pron. p. 374: Τρύφων συγκατατιθέμενος τῷ Ἰξίῳ; cf. p. 362, ubi Ixionis αὐτὸν μιν probat.

Iam aggrediamur ad universam rationem, quam Demetrius Ixion in grammaticis quaestionibus secutus est, constituendam eiusque doctrinam, quatenus hoc ex paucis, quae servata sunt, reliquiis fieri potest, exponendam.

Fuit igitur Aristarcho contrarius, ut cum ex illa de Ixionis cognominis ortu narratione elucet, quae apud veteres grammaticos ferebatur, et, sive haec sive alia causa fuit, tamen fingi vix potuit, nisi inter Demetrium et Aristarchum

discidium de doctrina ortum esse putabatur vel potius notum erat, tum et ex scriptis eius πρὸς τοὺς ἠθετημένους et πρὸς τὰς ἐξηγήσεις, quibus ab eo Aristarchum impugnatum esse supra (p. 21 sqq.) explicavimus, efficitur. Huius autem inter praeceptorem et discipulum discrepantiae fieri non potuit, quin imago in illa celebrata multumque laudata de linguae aequalitate, quam ἀναλογίαν vocabant, et inaequalitate, quam ἀνωμαλίαν vocabant<sup>1)</sup>, contentione inter Aristarchum et Cratetem accensa exprimeretur. Et initio quidem ab illius partibus stabat, deinde, cum Pergamum venisset, sententia, ut supra probare studui, mutata ita Cratetem consecutus est, ut eum, quo olim magistro usus erat, acerrime insectaretur. Aristarcheam autem doctrinam eum repudiavisse testimonia veterum grammaticorum duo potissimum exstant. Formam enim infinitivi futuri medii γενέσθαι, quam pro γενήσεσθαι finxit (Ξ 221), Herodianus hac fere ratione repellit: Si ille infinitivus recte formatus esset, etiam λαβέσθαι et πνθέσθαι infinitivi futuri necesse esset exstarent, cum infinitivi aoristi γενέσθαι, λαβέσθαι, πνθέσθαι inter se pariter formati essent. Oreantur igitur — si ex analogeticorum sententia loquimur — hae proportionales:

λαβέσθαι : λαβέσεσθαι = γενέσθαι : γενέσεσθαι  
vel πνθέσθαι : πνθέσεσθαι = γενέσθαι : γενέσεσθαι.

Quarum in utraque ex tribus, quibus ad quartum reperiendum opus est, membrorum unum deesse. Itaque, ut breviter loquar, Herodianus obiicit, illam formam omni analogia carere. Similiter Ixion propter analogiam neglectam vituperatur ab Apollonio de pron. p. 402: τὸ ἄμὸν ἴσον ἐστὶ τῷ ἡμέτερον, ἀλλ' οὐχ, ὡς τινες ἐπέλαβον, ἐκ τοῦ ἔμὸν μετελλήφθαι (de τινές cf. p. 16). οὐ γὰρ ποτε τὸ εἰς ἃ μακρὸν μεταλαμβάνεται.

His igitur ex exemplis vel solis verisimile est Ixionem non analogiam, sed anomaliam secutum esse, id quod cum

1) cf. Gell. N. A. II 25: Duo autem Graeci grammatici Aristarchus et Crates, summa ope ille ἀναλογίαν, hic ἀνωμαλίαν defensitavit. — cf. L. Lersch, Die Sprachphilos. d. Alten. I. p. 62 sqq.

eo, quod domicilium suum in urbe Pergamo, sede Crateorum, collocaverat, confirmatur, tum eo, quod, ut ex scholiis Aristophaneis didicimus, saepe aliam, quam Aristarchus, defensavit sententiam. Pertinet hoc ad Homeri loquendi usum, quem Aristarchum eiusque asseclas accuratissime observavisse ac perquisivisse constat, Demetrius compluries neglexit, quare saepius reprehenditur. Apparet autem analogiam, nisi quae a posterioribus Aristarcheis, qui eam pluris aestimabant, quam observationem sermonis, ut haud raro linguae vim et manus inferrent, cum analogiae gratia formas, quae nunquam in usu fuerant, crearent, ex-culta est, — sed eorum aetati Demetrius non assignandus est — analogiam igitur, qualis Aristarchi ipsius temporibus defendebatur, arte cohaerere cum severa accurataque usus loquendi eius, qui tractatur, scriptoris, observatione. Ei igitur loci, quibus Demetrius illum parum respexit ideoque vituperatur ab Aristarcheis, simul comprobant eum in horum numero non habitum fuisse. Eiusmodi locos nonnullos inveniemus, si Ixionis lectiones Homericas perlustrabimus. Quodsi incipimus ab illa, quam paullo ante laudavimus, forma infinitivi futuri *γενέσθαι* (Ξ 221) pro Aristarchi (*ἄπροκτόν*) *γε νέσθαι* i. e. *πορεύεσθαι* proposita ad scribendum, quicumque loci sententiam respiciet, Demetrii lectionem magis arridere concedet, quam Aristarchi, hanc artificiosiore esse, illam simpliciore. Attamen hic verum criticum se praestitit Aristarchus, cum accurate severeque internosceret, quid in usu sermonis reperiretur, quid ab eo alienum esset, neque fallaci splendore in errorem deduceretur. Non eandem curam sanamque mentem Ixion praestat, qui sane temere *γενέσθαι* infinitivum futuri finxit. Similem in errorem alio loco delapsus est simplicitate quadam verique similitudine interpretationis deceptus, Γ 35, ubi pro Aristarchi *παρειά* vel *παρειάς* dualem *παρειά* legere commendavit. Fugit eum, quod, ut Ptolemaeus Ascalonita analogeticus obiicit (cf. M. Baege De Ptolemaeo Ascalonita diss. Hal. 1882. p. 26), nusquam apud Homerum tales nominum femini generis duales invenitur. Huc etiam referendum videtur Α 171: *καὶ κεν ἐλέγχιστος πολυδίψιον Ἄργος ἰκοίμην*. Ubi

Demetrius, cum ab Aristarcho declinet, figuram hypertheseos vel hyperbati adhibitam esse putat, ut idem sit ac *πολυδίψιον Ἄργοςδε*, cui explicationi Herodianus cum adiciat *ὄπερ σπάνιον ἔστι* indicat se non pro aequo habere aliquid paucis incertisque testimoniis probare. Et eisdem paene verbis ab Apollonio reprehenditur de pron. p. 374. Intellexit enim ille H 280 et K 552 pronomen *σφῶε* secundam dualis personam ad similitudinem primae, quae est *νῶε*, *ἐπεὶ καὶ ἡ νῶε διὰ τοῦ εἶ*. Ceterum etiam in Attica dialecto *σφῶε* secundam, *σφῶ* tertiam dualis finxit. Priore igitur loco Crateteus suis ipsius finibus egressus in analogeticorum rediit haud comiter ab Aristarcheis consalutatus. Immo vehementer in eum invehitur Apollonius de pron. p. 374: 'Neque *νῶε* formam, cum semel tantummodo vel bis inveniat, neque *σφῶ*, tertiam personam, habere auctoritatem ac fidem. Omnino inde, quod hic vel ille scriptor forma interdum usus est, cum plerique alii non usurpent, ad eius usum vel notionem discernendam vix quidquam colligere licere. Neque nullius momenti sunt ad rationem, quae inter Demetrium et Aristarchi scholam fuit, exquirendam Apollonii l. l. et Herodiani Ξ 221 de illius scripturis iudicia paucis verbis comprehensa: *Βίαιος δ' Ἰξίων ἔστι κτλ.* et *βιαιῶς πάνν*. Ea enim indicant Ixionem regulas ac leges ab Aristarcheis constitutas more Crateorum perfregisse. — Aliis quoque locis praeter illos ante laudatos Demetrius ab Aristarcho discessit, sed incertum est, quare discesserit. Α 424 aliam, quam illius *κατὰ δαῖτα*, scripturam commendavit (cf. p. 47 sqq.). — O 194 (*οὔτι Διὸς βέομαι φρεσίν*) Aristarchus *βέομαι* explicavit *βιώσομαι*, Demetrius *ἀποβήσομαι*, uterque, sicut Α 423 in verbo *ἔπονται* Demetrius, tempori praesenti, *βέομαι*, significationem futuri tribuens: Ille, ut verus criticus atque iustus interpres, videtur in verbi notione explicanda ac decernenda ab vv. X 431 *τί νν βείομαι αἰνὰ παθοῦσα σοῦ ἀποτεθνήωτος* et Π 852 = Ω 131 *οὐ γὰρ μοι δηρὸν βέη κτλ.* profectus esse. Ipse enim statuit summam interpretationis normam Homerum ex Homero intellegendum atque explanandum esse. Quam Ixion non respexisse videtur. Immo, utpote qui multifariam etymologicis quaestioni-

bus operam dederit, verbi notionem ex etymo, quod vocatur, elicere studuit, ratus, ut nonnulli nostratium, cum verbo βαίνειν cohaerere, quam significationem etiam Π 852, ubi minus apta sit, retinere vult, satis artificiose sic explicans: οὐ προβήση κατὰ τὸ ζῆν πολλὴν χρόνον. — Θ 103 δπάξει, Aristarcheae lectioni, eam, quae est ἐπείγει, ideo videtur praetulisse, quod sensui magis responderet, cum δπάξειν comitari, sectari denotaret, ἐπείγει urgere, instare. Si recte conieci eum nulla alia de causa ἐπείγειν scripsisse, quam quod meliorem sententiam praeberet, hoc fragmentum eis inserendum est, quae Crateteam doctrinam redolent. — Unus exstat locus, quo ipse ad loquendi usum provocat. Negat enim E 31 ἄρες ἄρες, duplicem vocativum, ferri posse, quod alioquin nusquam apud Homerum tale quid inveniatur. Qua de causa alterum ἄρες adiectivum intelligit. Herodianus autem adnotat: οὐχ οὕτως δὲ ἔχει ἡ παράδοσις (cf. La Roche Hom. Textkr. p. 118). Itaque Aristarchus non idem probavit, cum, si de causa quid coniecere licet, alioquin adiectivi, quod est ἄρες, positivus apud Homerum non exstaret. Ixion igitur in eundem errorem delapsus est, quem studuit vitare.

Iam quamquam Demetrius Crateti se applicavisse censendus est, tamen hinc colligere non possumus eum non interdum cum Aristarcho consensisse. Etenim probat Ἀρτείωνος formam, quae B 192 Aristarcho pro Ἀρτείδαο probata est, eique astipulatur Γ 18 de articulo ὀ omitendo. Similiter videtur legem quandam ab Aristarcho de pronomibus sancitam agnovisse, qua pronomina reflexiva ἐμᾶντοῦ, σεαυτοῦ ἑαυτοῦ nusquam hoc modo coniuncta, sed disiuncta tantummodo reperiri asseveratur (Lehrs quaest. ep. p. 114). Pauci dissentiebant, in quibus Ptolemaeus Ascalonita, qui alioquin semper Aristarchi asseclam se praestitit (cf. M. Baege l. l. pp. 3. 33. 37.). Ex illa lege, quid δ 244 scribendum esset, debuit disceptari: Ptolemaeus scripsit αὐτόν μιν, quam scripturam Apollonius de pron. p. 362 ideo reiicit, quod tria pronomina orientur, sc. αὐτόν μιν = ἔ αὐτόν μιν. Quod ut effugerent, Pindarion scripsit αὐτόν εἰ, Ixion, quem hinc elucet Aristarcheam legem com-

probasse, αὐτόν μιν, quod hic eadem atque Ω 472 ἦέ μιν αὐτόν et Φ 318 καὶ δέ μιν αὐτόν ειλίσσω ψαμάθοισιν ratione vocula μιν otiose addita esset (παρέλκει)?

Ceteris in lectionibus, quae Aristarcheis non servatis dubiae sunt, si rationem inter Ixionem et Aristarchum quaerimus, illud non obliviscendum esse reor illum huic plerumque contrarium fuisse. Quare solo Ixionis nomine insignitas scripturas omnes ab Aristarcheis discrepasse credam, id quod haud dubie maiorem veri speciem habet, quam si quis contrarie opinetur illis locis Ixionem cum Aristarcho consensisse. Hanc in falsam sententiam is aberrare possit, qui scholion K 124 δ Ἰξίων μέγ' ἐπέγρατο· καὶ μήποτε ἢ Ἀριστάρχειος οὕτως εἶχεν contemplatur. Attamen hic Aristarchi scripturam Didymus expiscari non potuit (Lehrs Arist.<sup>2</sup> p. 17); Ixionis ideo pro Aristarchea habuit, quod in quibusdam Aristarchi commentariis vocabulum μέγα per μεγάλως translatum esse scivit (cf. Lehrs Arist.<sup>2</sup> p. 17 ad B 111), non ideo, quod Ixionem cum Aristarcho saepe fecisse putaverit. An Didymum, ubi solae Ixionis lectiones laudantur, Aristarcheas eruere non potuisse censebimus? Vix putaverim. Neque enim dubium est, quin scholia temporibus gliscentibus mutilata ac decurtata sint, ut nesciamus, explicationes Demetrii scripturasque tales, quales hodie sunt, adnotaverit, an pleniore et Aristarcheis subiunctas. Quin etiam, dummodo Didymeis operis titulum (περὶ τῆς Ἀριστάρχειον διορθώσεως) et consilium voluntatemque teneamus, facere non possumus, quin utriusque scripturas propositas et collatas fuisse existimemus. Huc spectare videtur schol. Ξ 316 περιπροχρηθεῖς] περισσῶς χρηθεῖς· ὁ δὲ Ἰξίων γράφει περιπληθεῖς, quod, quamquam non in Ven. A. invenitur (Dindorfus erravit, cf. A. Ludwig in Rh. Mus. XXXII p. 14), tamen ad Didymum redire putandum est. Ixionis igitur lectio, ut δὲ particula indicat, alii opponitur, quae in textum recepta est. Haec videtur Aristarchea esse, aut, si non est, tamen quondam Aristarchea lectio eo loco fuit. Valde enim probabile est, quod A. Römer (Die Werke der Aristarcheer im cod. Ven. A. Sitzungsber. d. k. Akad. zu München. II 3 hist.-

philol. Kl. 1875. p. 276) de Zenodoteis et Aristophaneis scholiis explicavit, etiam ad Ixionia transferre: 'Scholia, cum coepta essent in margine manuscripti Homericici adscribi, decurtata esse. Namque quibus locis librarium suam cum Aristarchea congruere vidisset scripturam, illam omisisse, cum ea tantum adnotaret, quae ab Aristarcheis discrepant.' Et hac ratione, quaecunque Demetrii Ixionis fragmenta in Iliadis et Odysseae scholiis ita, ut Aristarchus quid scripserit exquirere non possimus, reperiuntur, intellegenda et explicanda esse iudicaverim. Neque enim veri simile est scripturas Ixionis, si cum Aristarcheis congruissent additas fuisse. Si quando consentiunt, hoc diserte notatur: *B* 192 sch. A: *καὶ ὁ Σιδώνιος καὶ ὁ Ξίων οὕτως γράφουσιν* sc. ut Aristarchus; sch. A ad *Γ* 18: *καὶ ὁ Ξίων ... οὕτως προφέρεται*. Utroque autem loco consensus amborum, si quid video, ut minus solita memoratur.

In universum igitur dici potest Demetrium Ixionem gravioribus in quaestionibus ab Aristarcho plerumque discessisse. Neque raro ab Aristarcheis vituperatur, praesertim quod analogiam non amplexus est, quae omnis inter Aristarcheos et Crateteos discidii contentionisque prima ac praecipua causa facta erat. Denique Pergami, in castris arceque Crateteorum, vixit. Haec omnia considerantes vix dubitabimus eum Crateteis assignare.

Priusquam disputationis finem faciamus, paucissima liceat adiungere de verborum affectionibus. Hac in re Demetrium quoque perversam illam, sed divulgatam veterum opinionem secutum esse fragmenta ostendunt. Velut vocem, quae est *μαῦλις*, explicat Etym. M. s. v. *παρὰ τὸ ὄμοῦ ἀβλίξασθαι ὀμαυλὶς ἀποβπλή τοῦ ὄ*. Eiusdem generis illud est, quod (Athen. II 50) de *ἦλα* forma dicit: *ἦλα οἶον μῆλα*<sup>1)</sup>.

Ea, quae in etymologia et Aristophanis interpretatione praestitit, cum supra exposita sint, restat, ut fragmenta disponamus, subscribamus, ubi res postulat, explicemus.

1) Simili ratione etiam vocabula *παρέλκειν* statuebant. Huc pertinet Demetrii adnotatio ad *δ* 244: cf. Apollon. de pron. p. 362.

## I. Ex scriptis, quae ad Homerum spectant.

### a. Ξέγγησις εἰς Ὅμηρον.

#### 1. Ilias.

1. *A* 513.\*<sup>1)</sup> *εἶρετο] ἔλεγεν* „εἶροντο δὲ κήδε' ἐκάστη“ (Od. λ 542). *Δημήτριος ὁ Ξίων προπερισπᾶ, παραλαμβάνων τὸ τὸ ἄρθρον*. A. *ὁ Ξίων καὶ εἶρε τὸ δεύτερον, κακῶς*. L. V.

Demetrius activum medio praetulit; illud in prima tantum pers. praes. β 162. λ 137. ν 7 reperitur. Causa perversae opinionis non perspicitur. An ab *εἶρω* = sero flexit?

2. *B* 127.\* *ὁ Ξίων διὰ τοῦ ν, ἕκαστον*. A. *ὁ Ξίων διὰ τοῦ ι, τινὲς δὲ διὰ τοῦ ν, ἕκαστοι ἐλοίμεθα οἱ ἐν τῇ δεκάδι οὕτως Ξίων*. L.

Codici L hic fides non habenda est, cf. K. Lehrs Arist. p. 231. — Quid inter utramque scripturam intersit, explicat Nägelsbach Anm. z. II. p. 150.

3. *B* 192. *οἶος νόος Ἀτρείδαο: οἶος νόος Ἀτρείωνος] κἀν ταῖς διορθώσεσι καὶ ἐν τοῖς ὑπομνήμασιν οὕτως ἐγγράπτο, Ἀτρείωνος, καὶ αἱ πλείους δὲ τῶν χαριστάτων οὕτως εἶχον, καὶ ἡ Ἀριστοφάνειος, καὶ ὁ Σιδώνιος καὶ ὁ Ξίων οὕτως γράφουσιν*. A.

De duplici lemme vide Dindorf. in ed. scholl. ad hunc locum. — De *γράφουσιν* cf. supra p. 22. — Sidonius, Ixionis aequalis fere, commemoratur etiam *A* 423. De eius aetate cf. Beccard de schol. in Hom. II. Ven. diss. Berol. p. 61.

4. *Γ* 35... *μασί μέντοι Ἀρίσταρχον καὶ Ἀριστοφάνην γράφειν παρειὰς σὺν τῷ σ, ἐπειδὴ καὶ „παρειῶν ἀπαλάων“ (Σ 123) λέγει. ὁ δὲ Ξίων δυνικῶς ἀναγιγνώσκει καὶ ἐκτάσει τοῦ α παρειά. λέγει δὲ ὁ Ἀσκαλωνίτης „οὐκ ἔστιν εὐρέσθαι ἐπὶ θηλικῶν ὀνομάτων παρὰ τῷ ποιητῇ τοιοῦτο δυνικόν.“ προσέθηκε δὲ ἐπὶ ὀνομάτων διὰ τὸ „γηθήσει προφανεῖσα ἀνὰ πολέμοιο γεφύρας“ (Θ 378). Cramer A. O. I p. 373.*

Verbis inde a προσέθηκε δὲ κτλ. Herodianus Ixionis errorem explicat: eum non satis distinxisse inter nomina substantiva et participia. Cf. La Roche Hom. Textkr. p. 332.

1) Fragmenta asterisco (\*) notata intermarginalia sunt i. e. quae medium inter scholia marginalia et textum tenent locum codicis Ven. A. De huiusmodi scholiis cf. Dindorf in ed. scholior. in Hom. Iliada (Oxon. 1875) praef. p. VII.

5. *Δ* 171: Δημήτριος ἐπὶ τοῦ Πολυδίφιον τὸν δε συνδεσμὸν ἐδέξατο καὶ κατὰ ὑπέρθεσιν ἐλάμβανε, ὅπερ σπάνιον ἔστι „καὶ κεν ἐλέγχιστος πολυδίφιον” Ἀργος ἰκοίμην, ἢ ἢ Ἀργοσδέ (sic!). Cram. A. O. I p. 378.

Cf. Strabo 8 p. 370. Eustath. p. 461, 7. De consensu huius scholii cum Strabone v. supra p. 32. — Welcker Ep. Cycl. II p. 547: ‘Strabo scheint die alten Erklärer, welche ganz richtig sagten, dass das *Δ* eingeschaltet sei, missverstanden zu haben, indem er angibt, dass es für die Partikel ausgegeben werde (πολὸν δ’ἔπιον, also πολυῖφιον δέ), was kaum glaublich ist’ etc. Immo Strabo vel potius Apollodorus (vid. p. 32) recte vidit. Tres enim diversas explicationes I. I. exhibet: 1.) πολυδίφιον = πολυπόθητον 2.) πολυδίφιον = πολυῖφιον = πολύφθορον 3.) πολυδίφιον = πολυῖφιον (πολύφθορον) δέ cum δ ex δε coniunctione κατὰ συναλοιφὴν ortum sit atque, quamquam inter πολὸν et ἔπιον interpositum, ad Ἀργος referendum sit, ut Ἀργοσδέ = εἰς Ἀργος fiat. Secunda explicatio invenitur in Cram. A. O. I p. 378 paullo ante Demetrii verba (πολυπλαβές καὶ ἔστι πλεονασμὸς τοῦ δ). Cf. etiam schol. Ven. A et B.

6. *E* 31. Ἄρες Ἄρες] ἐπαναβολὴ ὁ τρόπος. Ἰξίων δὲ τὸ δεύτερον δξύνει, ἢ ἢ ἀντὶ τοῦ βλαπτικέ· οὐδέποτε γὰρ κλητικὴ ἀναδιπλάζεται παρὰ τῷ ποιητῇ. οὐχ οὕτως δὲ ἔχει ἢ παραδόσις. τὸ δὲ ἀλαζονικὸν τοῦ δαίμονος ἐξαίρει τοῖς ἐπιθέτοις. A. Similiter B; cf. Eustath. p. 518 ad hunc locum: Ἰστέον δὲ, ὡς ἐν τοῖς Ἀπίωνος καὶ Ἡροδώρου φέρεται, ὅτι τοῦ Ἄρες τὸ σχῆμα παλιλλογία ἔστι, καὶ ὅτι ὁ γραμματικὸς Ἰξίων τὸ δεύτερον ἄρες δξύνει, γράφων ἄρες, ὃ ἔστι βλαπτικέ. οὐδέποτε γὰρ, φησι, κνρίον ὀνόματος κλητικὴ παραλλήλως κεῖται παρὰ τῷ ποιητῇ. πρόδηλον δὲ, φησι, καὶ ἐκ τοῦ βροτολογεῖ καὶ ἐκ τοῦ μαιφόνε, ὅτι καὶ τὸ ἄρες ἐπιθετικὸν ἔστιν.

De forma ἄρες cf. I. Bekker Hom. Bl. I. 194 sq., qui cum ἄρες positivum, cuius comparativus est ἀρειών, intellegat, Ixioni assentitur. — Curt. Etym.<sup>4</sup> p. 342. — K. Lehrs, Arist.<sup>2</sup> p. 474.

7. *Z* 414. ἄμὸν] Δημήτριος φησιν ἀντὶ τοῦ ἐμὸν, διὸ καὶ ἀντικρὺς ψιλοῖ. πιθανώτερον δὲ ἔστι Ἀωρικώτερον εἶναι, ἀντὶ τοῦ ἡμέτερον, ἄμὸν. οὕτως Ἀπολλώνιος. A.

De consensu cum Apollon. de pron. p. 402 cf. p. 18. De forma ἄμὸς cf. Hinrichs de Hom. eloc. vestig. Aeol. p. 74 sqq. et Lentz Herod. rel. praef. p. XXII fin.

8 *H* 280: ἀμφοτέρω γὰρ σφῶε φιλεῖ. Ixion σφῶε secundam dualis numeri intellexit personam. Apoll. de pron. 373 (Bekk.).

9. *Θ* 103. \*οὕτως Ἀρίσταρχος δπάζει· ὁ δὲ Ἰξίων ἐπείγει. A.

Cf. scholl. *Δ* 221. *ψ* 623. — La Roche Hom. Textkr. p. 135.

10. *K* 41. \*Δημήτριος ὁ Ἰξίων | ἐν ἄλλῳ θρασυκάρδιος. A. ‘In alio codice est ὁ Ἰξίων ἔστι γράφει’. Dind.

Scholion plane corruptum librario negligentia, ut sensus elici non possit. Duo fuere scholia Δημήτριος ὁ Ἰξίων et ἐν ἄλλῳ θρασυκαρδῆ, quam formam Ven. A. exhibet. Nullo iure Dindorfius ad h. l. praecedente La Rochio Hom. Textkr. p. 135 duo in unum conglutinavit, ut A. Ludwich (‘Die Scholien zur Ilias in W. Dindorfs Bearbeitung’ Rh. Mus. XXXII p. 177) monet.

11. *K* 124. ὁ Ἰξίων μέγ’ ἐπέγρετο. καὶ μήποτε ἢ Ἀριστάρχειος οὕτως εἶχεν. A.

cf. p. 39. — K. Lehrs Arist.<sup>2</sup> p. 17 de μέγα per μεγάληως ab Aristarcho translato.

12. *K* 548. ἐπιμίσσομαι] ὁ Ἰξίων ἀναμίσσομαι. V. Causa latet. De eiusmodi fragmentis, ubi sola Ixionis scriptura traditur, cf. p. 39 sq.

13. *K* 552: ἀμφοτέρω γὰρ σφῶε φιλεῖ. Cf. *H*. 280.

14. *N* 5. Ἀγανῶν Ἰππημολγῶν]. Ἀγανοὶ ὄνομα ἔθ-  
νονος. ἵππους δὲ ἀμέλγοντες οὗτοι τῷ γάλακτι ἐτρέφοντο. Δημήτριος δὲ ἀγανὸς τοῖς εὐειδέϊς. A. B.

Similiter Apoll. lex. Hom. p. 7, 2 Bekk.: ἀγανὸν· καλόν, ἐπιφανές, ἀπὸ τοῦ πολλαχῶς γαίειν, ὃ ἔστι γανυῖαν· ποτὲ δὲ σημαίνει καὶ ἔθνος ὀνοματικῶς οὕτω λεγόμενον· καὶ Ἀγανῶν Ἰππημολγῶν. De nostro igitur loco dissentit a Demetrio, cf. Hesych. lex. s. ἀγανόν· λαμπρόν. θανμαστόν.

15. Ξ 221: ἄπρηκτόν γε νέεσθαι] τοντέστι πορεύεσθαι· οὕτως Ἀρίσταρχος. Δημήτριος δὲ γενέεσθαι ἀντὶ τοῦ γενήσεσθαι, βιαίως πάνν· οὐδὲ γὰρ τὸ πυθέσθαι πυθέεσθαι γίνεται οὐδὲ τὸ λαβέσθαι λαβέεσθαι, ἵνα καὶ τὸ γενέεσθαι γενέεσθαι γένηται A.

De Demetrii nomine cf. supra p. 32. De γενέεσθαι forma ab Herodiano refutata cf. p. 35 sq. Haec explicatur ac quasi defenditur ab auctore scholii BL: (νέεσθαι) ἀντὶ τοῦ ὑποτρέφειν· οὕτως Ἀρίσταρχος. τινὲς δὲ τὸν γενέεσθαι μέσον μέλλοντα ἐδέξαντο διαλελυμένως. γίνω (γείνω adn. Dind., scrib. Bekk.) γὰρ γενῶ, γενοῦμαι, γενείσθαι, καὶ διαιρέσει γενέεσθαι. οὐκ ἔση, φησὶν, ἄπρακτος, οὐ ἐπιθυμῆ. — De incerta significatione, quae est τινές, cf. Roemer l. l. p. 263 sq. — De scripturis γίγνομαι et γίνομαι cf. La Roche Hom. Textkr. p. 220.

16. Ξ 316. περιπροχυθείς] περισσῶς χυθείς· ὃ δὲ Ἰξίλων γράφει περιπλεχθείς. B?

Hoc scholion in cod. Ven. A. non invenitur, quamquam W. Dindorfius in illum recepit, cf. A. Ludwich: Die Scholien zur Ilias in W. Dindorfs Bearbeitg. Rh. Mus. XXXII, p. 14. — Cf. supra p. 39.

17. O. 194. τῷ ῥα καὶ οὔτι] διὸ οὐκ ἂν κατὰ τὴν αὐτοῦ γνώμην βιώσομαι, ἀλλὰ κατὰ τὴν ἑμαντοῦ. Δημήτριος δὲ ἀποβήσομαι, εἴξω· οὕτως ἔχειν καὶ τὸ ‘οὐ γάρ μοι δηρὸν βέη’, (Π 852) οὐ προβήση κατὰ τὸ ζῆν πολὺν χρόνον. A.

Cf. supra p. 31. p. 37. Prior explicatio, quae est βιώσομαι, ad Aristarchum pertinet, ut ex scholio B ad X 431 elucet: τέκνον] ἢ συνεχῆς τοῦ ὀνόματος ἀνάκλησις ἐπικουφίζει μικρόν. τὸ δὲ βείομαι Ἀρίσταρχος διὰ τοῦ ι γράφει, ἵν’ ἢ πῶς βιώσομαι καὶ ζήσομαι σοῦ θανόντος . . . . τινὲς δὲ ἀντὶ τοῦ πῶς ἀποβήσομαι, πῶς φροντισθήσομαι, ὡς τὸ “οὔτι βείομαι Διός” (O 194), ἦτοι οὐ φροντίζω. Neque in eo offendendum est, quod hic βείομαι pro βέομαι invenitur. Duarum enim formarum eadem est significatio, cf. Et M. s. v. βείομαι: . . . Βέω ἔστι καὶ πλεονασμῶ τοῦ ἰῶτα, βείω. Ἰλιάδος χ’. “Ἐκτορ τέκνον ἔμὸν τί νυ βείομαι”; Ἀντὶ τοῦ ἐς τί ἔτι βιώσω καὶ ζήσω; Aristarchus autem ut X 431 non βέομαι, sed βείομαι scriberet, metro adductus est. Nec βίομαι

scripsisse putandus est, quod quis scholio B falso explicato intellectoque (cf. Hoffmann Prolegom. ad Iliadis rhaps. O et X p. 309) opinari possit vel scholio A intermarginali inspecto — nam huius verba sunt Ἀρίσταρχος διὰ τοῦ ι, βίομαι, βιώσομαι, non, qualia La Roche retinuit (cf. adn. ad Hom. II. ed. crit. X 431.), διὰ τοῦ η, βήομαι, βηώσομαι, de quibus monstruosis formis vid. Hoffm. p. 309. Aristarchus igitur, ne βίομαι scriberet, metro, cum ι vocalis brevis esset, prohibebatur. Itaque illud intermarginale scholion errore eius ortum est, qui talia fere verba apud auctorem suum reperit, qualia nunc in scholio B exstant: τὸ δὲ βείομαι Ἀρίσταρχος διὰ τοῦ ι γράφει κτλ. — Altera pars scholii B corrupta est. Neutiquam enim βείομαι per ἀποβήσομαι explicari potuit. Quamquam id apparet, inesse explicationem βείομαι verbi, quae ab Aristarchea discrepet, atque si schol. A ad O 194 (Δημήτριος δὲ ἀποβήσομαι, εἴξω κτλ.) cum illis depravatis verbis comparamus, sub vocula τινές Demetrium latere probabile est. Qui hoc quoque loco de βείομαι, ut O 194 de βέομαι, Aristarcho adversatus est, cum hic ‘vendi’, ille ‘eundi’ notionem defenderet. Itaque partem scholii corruptam sic fere restituendam esse censeo: τινές δὲ (sc. βείομαι accipiunt) ἀντὶ τοῦ πῶς προβήσομαι (cf. sch. O 194: οὕτως ἔχειν καὶ τὸ “οὐ γάρ μοι δηρὸν βέη”, οὐ προβήση κατὰ τὸ ζῆν πολὺν χρόνον), ὡς τὸ “οὐ γάρ μοι δηρὸν βέη”. Scriba autem aliquis, qui Aristarchi et Demetrii de O 194 discrepantiam in animo habebat, ea, quae ad O 194 pertinebant (πῶς ἀποβήσομαι, πῶς φροντισθήσομαι), dormitanter adscripsit ad X 431. — Quodcum complectar, verisimillimum, ne dicam certum, esse puto in scholiis A ad O 194 et B ad X 431 Aristarchi et Demetrii explicationes collocatas atque inter se oppositas fuisse. — De Demetrii ad O 194 adnotatione non eo perturbamur, quod Cram. A. P. III p. 286, 4 legitur: βέομαι] Δημήτριος δὲ ἀποβιώσομαι. Librarii vel potius scholiastae oscitantia ex Aristarchi βιώσομαι et Demetrii ἀποβήσομαι confusum est. — De βέομαι, quod forma praesens, notione futurum tempus est, cf. Krüger Gr. II § 53, 7, 6. Totum scholion O 194 (A) paene ad verbum receptum est in Etym. M. v.

βείομαι. — Cf. Curt. Etym.<sup>4</sup> p. 469: βείομαι ep. Fut. zu βίος. — Verb.<sup>2</sup> II p. 316: 'βείομαι mit den Nebenformen βέομαι und βίομαι'. — (Doederlein Gl. 2009: 'Das Fut. βήσομαι von βῆναι — ut Demetrius! — hat 1 Nebenform βήομαι oder βείομαι, ich werde leben!').

18. Π 411. κατήλθεν ἐκ τοῦ δίφρου κατὰ τὸ σιωπώμενον . . . Δημήτριος δὲ πεζὸν ἀγωνιζόμενον ἄχρι τοῦ ἔρματος, ὅτε Σαρπηδόνα εἶδε, προθορεῖν, ὡς τὸ "ἐκ δ' ἔθορε προμάχων" (O 573). οὐκ ἂν δ' ἐμέμνητο τοῦ δίφρου, εἰ πεζὸς ἦν. ἄμεινον δὲ λέγειν, ὅτι νῦν μὲν κατήλθε κατὰ τὸ σιωπώμενον, εἶτα μετὰ τὸ πλῆξαι τὸν Εὐρύαλον πάλιν ἀναβηθέναι. V.

Quaeritur hoc in versu, Patroclus cum curru vehatur (v. 427), unde lapides habeat. Difficultatem, quae hinc oritur, Demetrius ita solvit, ut statueret verba ἐκθορε δίφρου v. 427 non de curru desilientem significare, sed ita usurpata esse, ut O 573 ἐκ δ' ἔθορε προμάχων, i. e. a curru prosilientem Patroclum. Currum autem non Patrocli esse, sed Euryali. Hoc interfecto ille circum currum complures Troianos occiderat cf. vv. 415—417. Deinde cum Sarpedonem conspexisset, ab Euryali curru ex Demetrii sententia in illum prosiluit. Pedes enim Patroclus pugnat, ut Demetrius indicat, cf. Ameis-Hentze ad h. l. append. — Vid. supra p. 31.

19. X 431. Demetrius scribit βείομαι explicatque προβήσομαι, cf. ad O 194.

2. Odyssea.

20. β 96. κοῦροι] Δημήτριος δ' Ἰξίων μετὰ τὴν ἀντωνυμίαν ἔστιξεν, ἵνα, φησί, τὸ ἀπρεπὲς αὐτῶν ἀνεπίδηται. M. Q. R. Cf. p. 33. Dionysii Thracis interpunctionem probat Nicanor, non Ixionis.

21. δ 244. Ixion scripsit αὐτόν μιν. Apoll. de pron. p. 362. Cf. supra p. 41.

22. ε. 312. ἄλωναι] Ἰξίων, δλέσθαι. H.

Pro cod. ἄλῃσθαι cum Buttmano δλέσθαι scribendum est, cf. Dind. adn. — Cur Ixion δλέσθαι scripserit, cum utrumque et θανατῶ ἄλωναι (D 281) et δλέσθαι (T 421) reperiatur, non liquet. Fortasse veterum quorundam exemplarium auctoritate δλέσθαι confirmari credidit.

23. ε 431. ἐπεσσύμενον] ὁ Ἰξίων, ἀπεσσύμενον, καὶ μᾶλλον τὸ παλιγορόθιον. H. P.

24. ε 490. αἰοί] ἔξάπτοι. P. V. ὁ Ἰξίων, αἰη. H. P. Assentitur Ixioni G. Hermannus opusc. II p. 44.

25. σ 17. χρίσεται] χωρήσει, ἐνθεν καὶ χρεῖα ἢ κατάδισις τῶν ὄφρων. B. Q. V. Δημήτριος δὲ φησιν, ὅτι ἀττικίζων ὁ ποιητὴς ἀντὶ τοῦ δέξεται εἶπεν. B. Q. Vind. 133.

De omnibus eius modi fragm., ubi nihil nisi Ixionis scriptura servata est Aristarchea omissa cf. p. 39 sq.

Praeterea ad Homerum spectat:

26. Δημήτριος ὁ Ἰξίων τοῦ ποῖ τῶν Ἀττικῶν ὄντος ἰδίου τὸ [δὲ] πῆ Ἰακόν (Ἰακοῦ codex) καὶ Ὀμήρου σύνηδες (λέγει add. Villoison). Apoll. lex. Hom. p. 131. Bekk. — Certus locus huic fragmento vix potest assignari, nisi tale quid ad Z 277 et ρ 219 Ixion adnotavit, quos versus etiam Apoll. l. l. citat: πῆ· ἐς τίνα τόπον· πῆ ἔβη Ἀνδρομάχη (Z 277); καὶ πῆ δὴ τόνδε μολοβροδὸν ἄγεις (ρ 219); ὁ δὲ Δημ. κτλ. Omnino autem incertum est, utrum illa Demetrii de ποῖ et πῆ facta explicatio ad ἐξήγησιν εἰς Ὀμηρον, an ad alium librum, velut ad Ἀττικὰς λέξεις referenda sit. Nam in his quoque Atticum cum Homericis sermone facile potuit comparare.

b. Πρὸς τὰς ἐξηγήσεις.

A 423: οὕτως (sc. κατὰ δαίτα) δὲ εἶρομεν καὶ ἐν τῇ Μασσιλιωτικῇ καὶ Σινοπικῇ καὶ Κυπρια καὶ Ἀντιμαχείῳ καὶ Ἀριστοφανείῳ. Καλλίστρατος δὲ ἐν τῷ πρὸς τὰς ἀθετήσεις [hic aliquid excidit]. ὁμοίως καὶ ὁ Σιδώνιος καὶ ὁ Ἰξίων ἐν τῷ ε' πρὸς τὰς ἐξηγήσεις. καὶ τὸ 'θεοὶ δὲ πάντες ἔπονται' διὰ τῆς αἰ. A.

Quaeritur, quomodo verba inde a Καλλίστρατος usque ad ἐξηγήσεις interpungenda sint, qua de quaestione duae a partibus suis defenduntur sententiae. Et alteri quidem, velut R. Schmidt (Comment. de Callistr. Aristoph. p. 329 [14] n. 36.), imprimis autem L. Friedlaender (N. Jhb. f. Philol. 77 (1858) p. 15.) eumque secutus A. Ludwich (Didymi περὶ τῆς Ἀριστοφάνειου διορθώσεως frgm. ad Il. A 1—423. Prgr. acad. Regiom. 1865. p. 18.) post ὁμοίως comate indicato Callistratum cum Aristarcho facere statuunt



simulque Dionysium Sidonium et Demetrium. Eorum autem interpretationi obstat δέ, quae particula adversativa Callistrati opinionem prodit praecedentibus opponi. Quare Friedlaender 'καὶ Καλλίστρατος' κτλ. scribit, melius A. Ludwich 'καὶ Καλλίστρατος δέ' κτλ., quae scriptura optime simillimo exemplo fuleitur, B 435 (sch. A): διὰ τοῦ ζ τὸ ἐγγυαλίξει αἱ Ἀριστάρχειοι, καὶ Ἀπολλώνιος δὲ ὁ Ῥόδιος ὁμοίως προφέρεται, καὶ ἡ Ἀριστοφάνους. Sed, ut mutata ab illis lectionem omittam, aliud mihi iniicit dubitationem. Neque enim credo fortuito sententiam Callistrati ἐν τῷ πρὸς τὰς ἀθετησεις (sc. Ἀριστάρχου) memorari, id quod intermarginali quoque scholio firmatur, quamvis corrupto: \*ὅτι τινὲς γράφουσι . . . μετὰ δαίμονας ἄλλους· διὸ ἀθετεῖται (cf. R. Schmidt l. 1.). Proinde videamus, num Aristarchus nostrum locum pro spurio habuerit. Non habuisse eum neque potuisse habere, quicumque vv. 423 sqq. cum vv. 487 sqq. conferet, concedet. Contra res simpliciter se habet, si scholion illud intermarginale cum Friedlaendero sic complemus: ὅτι τινὲς γράφουσι [μετὰ δαῖτα· διὸ ἡ διπλῆ· καὶ ὅτι μάχεται τὸ] μετὰ δαίμονας ἄλλους· διὸ ἀθετεῖται. Obelus autem huic loco errore scholiastae alicuius appictus est, qui non solum pugnans (222), sed etiam impugnatum versus (424) insignire voluit (cf. L. Friedlaender. Ariston. fragm. A 424). Eumque perperam additum esse Pluygersius quoque censet (De Carm. Hom. etc. retractanda editione. Progr. scholast. Lugd. Bat. 1847. p. 6). Iam ad v. 222 haec Aristarchi exstat adnotatio, quae, quamquam Friedlaendero non placet, tamen illi non abiudicanda est (cf. Friedl. Ariston. l. 1.): δύναται μὲν ἀθετεῖσθαι· οἱ γὰρ θεοὶ πρὸ μιᾶς ἡμέρας εἰς Αἰθιοπίας εἰσι κωχωρισμένοι· δύναται δὲ καὶ Ὀμηρικῷ τρόπῳ ἀνοῦεσθαι μετὰ δαίμονας ἄλλους, εἰς τὸν τῶν δαιμόνων τόπον. Hic, ut compluribus aliis locis, Aristarchus liberum reliquit iudicium de athetibus (K. Lehrs Arist.<sup>2</sup> p. 347). Apparet, si v. 222 propter v. 424 offendeat, ἐποντο non ἐπονται eum legisse; nam, si ἐπονται legitur, quod, ut in germanico sermone, futuri temporis notionem habere potest (die andern Götter folgen ihm noch nach = werden ihm nachfolgen), argumentum

primae rhapsodiae non perturbatur. Itaque verba scholii ad 423 postrema: καὶ τὸ "θεοὶ δὲ πάντες ἐπονται" διὰ τῆς αἰ (sc. non διὰ τοῦ ὀ cf. schol. L. . . . καὶ ἐποντο διὰ τῆς αἰ, sc. scribunt οἱ ἄλλοι<sup>1</sup>), ad Callistratum, Sidonium, Ixionemque, non ad Aristarchum referenda sunt. Sin autem Ludwichii interpunctionem sequimur, ad quemnam illa verba pertinent? Neque ad Aristarchum, qui ἐποντο legit, neque ad Callistratum, cum hic oreretur sensus: 'Callistratus cum Aristarcho κατὰ δαῖτα legit, item Sidonius et Ixion. Deinde scribunt ἐπονται, non ἐποντο, (nam verbis διὰ τῆς αἰ diserte additis contrarium quoddam indicatur,) quasi etiam Aristarchus ἐπονται scripsisset, alii ἐποντο.' Omnia autem quadrant altera probata interpunctione, qualis placuit Bekkero, accuratius indicata est a M. Schmidtio (Didymi frgm.), recepta a Dindorfio in editionem scholiorum: Καλλίστρατος δὲ ἐν τῷ πρὸς τὰς ἀθετησεις [hic aliquid excidit]· ὁμοίως καὶ ὁ Σιδώνιος καὶ ὁ Ἴξιων κτλ. Callistratus enim in commentatione, qua Aristarchi atheteses impugnabat, cum de v. 222 ageret, etiam illum v. 424, qui arte cum v. 222 cohaeret eique adversari videtur, debebat tractare. Ipse improbavit Aristarchi κατὰ δαῖτα, ut ex particula δὲ sequitur, alteram difficultatem ita solvit, ut ἐπονται scriberet i. e. sequuntur vel sequentur, qua scriptura duorum versuum consensus restituitur. Hanc igitur ob causam Callistrati liber πρὸς τὰς ἀθετησεις commemoratur. Neque nunc non intellegimus, quare Ixionis πρὸς τὰς ἐξηγήσεις afferatur. Aristarchus enim versus 222 servandi causa μετὰ δαίμονας ἄλλους idem valere dixerat, atque εἰς τὸν δαιμόνων τόπον. Hac igitur explicatione repudiata Demetrius Ixion, ut Callistratus et Sidonius, cum ἐπονται praeferret eique futuri notionem tribueret, omne impedimentum removebat. Etiam pro κατὰ δαῖτα una cum ceteris duobus grammaticis aliam lectionem

1) Prior pars scholii L corrupta est: Ἀριστάρχος γράφει ἐπὶ δαῖτα, οἱ δὲ ἄλλοι κατὰ δαῖτα· καὶ ἐποντο κτλ. Illum κατὰ δαῖτα, non ἐπὶ δαῖτα scripsisse certum est, hi utrum ἐπὶ δαῖτα an μετὰ δαῖτα an aliam lectionem probaverint incertum. Putaverim ἐπὶ δαῖτα et κατὰ δαῖτα inter se transposita esse, ut, quod Aristarchi esset, τοῖς ἄλλοις, quod horum esset, Aristarcho tribueretur.

commendavit. Haec, quamquam propter locunam non tradita est, tamen ea fuisse putanda est, quae quid ad interpretationem valeret. Moneo ex nostratibus Spitznerum *κατὰ δαῖται λέναι* reiecisit et quod minus epicum esset et quod denotaret 'ausgehen, wie ein Bettler, um sich Speise zu verschaffen,' quare ipse *μετὰ δαῖτα* scripsit, cf. Naegelsbach Anm. z. Ilias p. 92. Itaque censeo Demetrii commentationem nostro loco de duabus interpretationibus agere potuisse et egisse eumque ab Aristarcho dupliciter recessisse.

28. Γ 18. *Ἀρίσταρχος ἄνευ τοῦ ἄρθρου, ἀντάρ δοῦρε. οὕτως καὶ ἡ Ἀριστοφάνους καὶ ἡ Καλλιστράτου καὶ σχεδὸν οὕτως καὶ αἱ χαριέσταται. καὶ ὁ Ἰξίων ἐν τῷ πρώτῳ πρὸς τὰς ἐξηγήσεις οὕτως προφέρεται.*

Errat La Roche, qui Hom. Textkr. p. 78 dicit: Dreimal wird auch der Ausdruck *ὁ Ἰξίων προφέρεται* gebraucht, wobei zunächst an Schreibweisen anderer zu denken ist, die Ixion erwähnt hat. Idem Z 437: *ὁ Ἰξίων ἐν τῷ πρὸς τοὺς ἠθετημένους Ἀτρείδα προφέρεται δνίκως* falso subaudit *ὡς Ἀριστάρχειον*. Hunc in errorem adductus est duobus potissimum scholiis Z 76: *Ἀμμώνιος ὡς Ἀριστάρχειον προφέρεται κτλ.* et Θ 513 *Παρμενίσκος ἐν τῷ α' πρὸς Κράτηα ὡς Ἀριστάρχειον προφέρεται κτλ.* Sed ex his duobus exemplis de verbi significatione nihil certi concludi potest. Illa notio quomodo tolerabilis est in scholiis A 117: *οὐ δεῖ δὲ αὐτὸν* (sc. τὸν στίχον) *ἰδίᾳ προφέρεσθαι, ἀλλὰ συνάπτειν τοῖς ἄνω.* ibid. 611 *δῆλον, ὅτι καθεύδειν δημοτόως ὀφείλομεν προφέρεσθαι.* ibid. 524 *οὕτως κατανεύσομαι, οὐχὶ ἐπινεύσομαι Ἀρίσταρχος ἐν τοῖς πρὸς Φιλητῶν προφέρεται?* Cuius scripturas Aristarchus protulit? Deinde B 435 . . . *Καλλιστράτος δὲ ἐν τῷ α' περὶ Ἰλιάδος οὕτως προφέρεται.* Cuiusnam scripturam memorat Callistratus, nisi suam ipsius? An Aristarchi, quem ab eo illo in libro impugnatum esse non a veri simili abhorret? Statim sequitur: *καὶ ἔστιν εὐφραδῆς μᾶλλον, ἀλλ' οὐκ Ἀριστάρχειος.* — Immo *προφέρομαι* denotat proferre, affere sc. ut suam, non ut alienum, nisi diserte notatur, velut in illis exemplis, quae supra memoravimus, Z 76 et Θ 513: *ὡς Ἀριστάρχειον*. Verba duo, quae sunt *προφέρομαι* et *γράφω*, quamquam hoc paene

artis vocabulum grammaticorum est et de editionibus recensionibusque potissimum usurpatur (cf. p. 23), illud ad commentationes referendum est (cf. p. 23), tamen idem fere videntur significare, ut ex sch. I 349. 50 elucet: *ἐν τῷ περὶ Ἰλιάδος καὶ Ὀδυσσεύς ὁ Ἀρίσταρχος προφέρεται καὶ ἤλασεν ἔκτοθι τάφρον' καὶ ἐν τῷ ἐξῆς 'περὶ δὲ σκόλοπας κατέπηξεν.'* εἰσι δὲ οὐκ ἄτοποι αἱ γράφαι. — Hoc quidem certum est verbum, quod est *προφέρεσθαι*, non per se ipsum 'citandi', quod nos dicimus, notionem habere. Itaque sch. Γ 18 Ixionis, non alius scriptura refertur. Et is quidem consentit cum Aristarcho de *ὁ* articulo omisso, id quod, cum liber *πρὸς τὰς ἐξηγήσεις* sc. *Ἀριστάρχον* afferatur, tamen consilio eius non repugnat (cf. p. 25). Aristarchus, qui v. 19. 20. subditicios damnavit, cum *ὁ* articulum omitteret, ex praecedentibus *ἔχων* supplevisse videtur: *καὶ ξίφος, ἀντὰς δοῦρε δῖω κεκορυθμένα χαλκῷ* sc. *ἔχων*. Ixion autem utrum cum Aristarcho versus duos sequentes reiecerit, an retinuerit et articulum tantum deleverit, non certum est. Reputantibus autem nobis eum *πρὸς τοὺς ἠθετημένους* scripsisse hoc probabilius videtur, quam illud. Neque magis patet, quam Aristarchi explicationem hoc in loco versantem impugnaverit. Nam de toto loco si Ixion cum illo fecisset, eum non in opere *πρὸς τὰς ἐξηγήσεις* tractasset.

29. Z 171. *Ἰξίων ἐν τῷ πρώτῳ πρὸς τὰς ἐξηγήσεις προφέρεται μετ' ἀμύμονι πομπῇ* (sc. pro ὑπ' ἀ. π.) A.

Causa latet, sed, quod scriptura ex scripto *πρὸς τὰς ἐξηγήσεις* profertur, cum interpretatione videtur cohaerere. Si quid coniecere licet, cum certo dici nequeat, Ixion in passivi significatione offendit, quae in ὑπ' ἀμ. π. est, atque sic explicanda videbatur, quasi Bellerophon a deis missus, deis auctoribus in Lyciam se contulisset, id quod ab eis, quae praecedunt, abhorret. (Simile est hymn. 15, 5 *πομπῆσιν Εὐρυσθέος* = ab Eur. missus.) Falsam illam sententiam ut aufugeret, Ixionem μετ' ἀμ. π. i. e. deis prosequentibus scripsisse coniecerim: Aristarchus ὑπ' ἀ. π. videtur scripsisse. Plerumque enim ille huic contrarius fuit, v. supra p. 39.

c. Πρὸς τοὺς ἡθετημένους.

30. Z 437. Ἀτρείδας] ὁ Ἰξίων ἐν τῷ πρὸς τοὺς ἡθετημένους Ἀτρείδα προσφέρεται δυνικῶς. A.

Cf. p. 23 sq. De προσφέρεσθαι p. 50 sq., ubi etiam de La Rochii interpretatione 'προσφέρεται sc. ὡς Ἀριστάρχου' verba feci. — A 15 scripsit Aristarchus dualem, cf. schol. A 15: \*Ἀτρείδα] ὅτι τινὲς Ἀτρείδας. Itaque hoc loco inter se consensisse putandi sunt.

## II. Ex commentariis Aristophaneis.

a. Ranae.

31. 79. ἄνευ Σοφοκλέους ὅτι ποιεῖ κωδωνίσω] ἢ μεταφορὰ ἀπὸ τῶν ἵππων τῶν κώδωνι δοκιμαζομένων, εἰ θόρυβον ὑπομένειν δύνανται. Δημήτριος δὲ προσλαμβάνει καὶ ὅτι κατὰ τὰς φυλακὰς εἰ ἐργηγόρασι κώδωσι διεσήμαινον, ὅπως ἀντιφθέγγονται (ita Suidas s. v. Διακωδωνίσω, schol. ἀντιφθέγγονται).

Demetrii explicationis Suidas s. v. Διακωδωνίσω mentionem facit etiam in iis verbis, quae ante scholiastae verba profert: . . . τινὲς δὲ ἀπὸ τῶν φυλακῶν. — Ex verbo, quod est προσλαμβάνει, Demetrium hanc locutionis, quae est κωδωνίσω, interpretationem una cum ea, quae praecedit, probasse efficitur. De re cf. Hesych. lex. s. v. κωδωνοφορῶν. Phot. s. v. κωδωνίσαι.

32. 184. Χαῖρ' ὦ Χάρων, χαῖρ' ὦ Χάρων, χαῖρ' ὦ Χάρων] Δημήτριος φησιν Ἀχαιοῦ ὄλον εἶναι ἐκ τοῦ Αἴθωνος. λέγονσι δ' αὐτὸ οἱ σάτυροι, Χαῖρ' ὦ Χάρων, χαῖρ' ὦ Χάρων, Χαῖρ' ὦ Χάρων ἢ πον σφόδρα θυμοῦ κτλ.

De Aethone cf. Müller: De A. satyr. Achaei Eretr. Progr. Ratibor 1837. — Praeterea cf. Koek adn. ad Ran. 184 et supra p. 28.

33. 191: εἰ μὴ νενανμάχησε τὴν περὶ τῶν κρεῶν] . . . φέρεται δὲ καὶ ἄλλη γραφή· τὴν περὶ τῶν νεκρῶν· εἴη δ' ἂν λέγων περὶ τῆς ἐν Ἀργινοῦσαις ναυμαχίας, ἐν ἣ ἐνίκων μὲν οἱ Ἀθηναῖοι, τοὺς νεκροὺς δὲ ἐκωλύθησαν ἀνελέσθαι ὑπὸ χειμῶνος· ἐξ οὗ καὶ τῶν δέκα στρατηγῶν ἀπώλοντο καταδικασθέντες οἱ ὑπομείναντες ἐξ. ἐπεὶ οὖν συνενανμάχουν καὶ οἱ

δοῦλοι, τοιοῦτό τι λέγει· 'δοῦλον οὐκ ἄγω, εἰ μὴ ἀνήρηται τοὺς ἐκ τῆς θαλάσσης νεκρούς.' οὐκ ἔχει δὲ νοῦν τὸ λεγόμενον. ναυμαχίας γὰρ οὐδεμιᾶς ἔδει πρὸς τὴν ἀναίρεσιν. χειμῶνι δὲ ἐκωλύθησαν.

Διάφοροι αἱ γραφαί. οἱ μὲν γὰρ κρεῶν, ὡς Ἀρίσταρχος φησιν κτλ. . . . ἕτεροι δὲ φασιν ἀντίτεσθαι τὴν περὶ Ἀργινοῦσαν ναυμαχίαν, ἣν διὰ τοὺς νεκροὺς ἠγωνίσαντο, τὴν δευτέραν γραφὴν αἰροῦμενοι. R.

Scripturam περὶ τῶν νεκρῶν Ixionis esse sequitur ex Photii lexico s. v. κρέας: ὁ Ἰξίων γράφει τὴν περὶ τῶν νεκρῶν κτλ., cf. supra p. 26 sq. Hac autem lectione salse stultitia Atheniensium rideri videtur, qui in duces, victoriae auctores, ita se gesserint, quasi non de salute reipublicae, sed de caesorum cadaveribus sepeliendis pugnatum fuisset. Haec Ixionis scripturae interpretatio est Brunckii a me plane probata. Cf. Fritzschi comment. ad Aristoph. Ran. p. 127, ubi etiam de Aristarchea lectione, quae est περὶ τῶν κρεῶν, Fritzsche accuratius disseruit. Demetrii scriptura num veterum exemplarium auctoritate confirmata fuerit, nescimus; in textum codicum nonnullorum (cf. Velsenii adn.) ex scholio pervenisse videtur. Si coniectura fuit (quae est sententia Gerhardi (de Aristarcho Aristophanis interprete diss. Bonn. 1850 p. 28 adn.), perverse Demetrium iudicasse apparet.

34. 308. ὁδὶ δὲ δείσας ὑπερεπυρρῖασέ σου] Ἀρίσταρχος φησιν ἐφ' ἑαυτοῦ λέγειν τὸν Ξανθίαν· καὶ γὰρ διότι πυρρὸς, οὕτως ἐπικεκλήσθαι, καθάπερ Πυρρῖας καὶ Σμικρῖνης. ὁ δὲ Ἰξίων, ἐπὶ τινος τῶν καθημένων, Ξανθὸν τὸ χρῶμα ὄντος. ἐν ἔθει γὰρ εἶναι διασκώπτειν τοὺς ἀκροωμένους, ὡς καὶ Πλάτων ἐν Παιδαγῶνι ποιεῖ. Εὐπόλις δὲ τὸν τοῦ Διονύσου ἱερέα ὀνομάζει ἀγίπυρρον ἀντὶ τοῦ πυρρῶν. τὸ γὰρ ἄνθος ἔχειν φησὶ Δημήτριος ἰκανῶς ἐρυθρόν.

Tota explicatio indè a verbis, quae sunt ὁ δὲ Ἰξίων cet. usque ad finem videtur Ixionis esse, qui veteris comediae moris, quo auditores illudantur, duo affert exempla, Platonem et Eupolin. Discessit grammaticus ab Aristarcho illo versu in interpretando, ut vel ex δὲ particula cognoscitur. Jam cum in eo potissimum declinaverit, ut verba ὁδὶ δὲ δείσας ὑπερεπυρρῖασέ σου ad unum ex spectatoribus

referret, Gerhardum l. l. p. 28 verbis „Iste (sc. Bacchi sacerdos) inter spectatores sedens dignior vel aptior est, qui Xanthias vocetur me ipso“ non recte Aristarchi sententiam exposuisse puto. Accedit, quod verba, quae sunt *Ἀρίσταρχος δὲ φησιν κτλ.* in scholio priori eius parti opponuntur: *Ὁ τοῦ Διονύσου ἱερεὺς. πυρρός γὰρ ἦν κτλ.* Sacerdos enim unus est e spectatorum numero neque, si pronomen *ὄδι* cum Gerharo ad vocem, quae est *ἱερεὺς* trahitur, (seu *ὑπερεπυρροιάσε*) σου sive, ut Gerhard vult, *μου* legimus, Aristarchi explicationem cum antecedente per *δὲ* particulam licet coniungere. Immo, si Xanthias de se ipso loquitur, ut Aristarchus vult, res sic exponenda videtur, ut *ὄδι* Xanthias ipse significetur: ‘Ego pro te vel tibi metuens magis etiam erubui, quam rubere soleo (*ὑπερεπυρροιάσε* σου).’ Quare assentior Fritzschio l. l. p. 167 dicenti: . . . „tametsi Aristarchi explicationi prima persona *ὑπερεπυρροία* accommodatior fuisset“. Alioquin eum non sequor. — Cf. Meineke F. C. G. II p. 433. — Cur Bacchi sacerdos ab Eupolide *αἰγίπυρρος* dictus sit, Demetrius Ixion explicat verbis: *τὸ γὰρ ἄνθος* (sc. *τὸν αἰγίπυρρον*) *ἔχειν κτλ.*, cf. Fritzsche l. l.

35. 970. *οὐ Χῖος, ἀλλὰ Κῖος*] *Ὅτι δοκεῖ προσγεγράφθαι τῇ πολιτείᾳ, ἄγνωτος αὐτὸν ποιησαμένον, ὡς Εὐπολῆς Πόλεσιν. Ἀρίσταρχος δὲ ὡς γεγραμμένον Κῶος ἐξηγεῖται· ὅτι πρὸς τὸ Κῶος εἰσῆγαγε τὸ Χῖος. τὸν γὰρ ἀντίστροφον τῷ Χίῳ (add. Κῶον) λέγεσθαι. τοῦτο οὖν φησιν, ὅτι οὐδέποτε κακοβολεῖ (sic Hemsterhusius pro codicum κακοβουλεῖ) ὁ Θεραμένης ὡς ἐν ἀστραγάλοις, ἀλλ’ ἐπιτυγχάνει. ἐπιπλήττει δὲ αὐτῷ ὁ Δημήτριος ὡς τελέως ἀγνοοῦντι, ὅτι Κῖος ἦν. παραλείπει δὲ ὁμῶς καὶ αὐτὸς, ὅτι οὐδὲν ἦτον παρὰ τὴν ὑπόνοιαν εἰρηται ἀντὶ τοῦ Κῶος Κῖος. Αἰδύμος δὲ φησιν κτλ.*

Aristarchus igitur scripsit *οὐ Χῖος, ἀλλὰ Κῶος*, quod proverbium ab astragalorum lusu apte adhiberetur in Theramenem istum, qui, quamvis praesens esset periculum, tamen semper feliciter id evitaret. Quam ob scripturam illum vituperat Demetrius, cum nesciat Theramenem ex Ceo insula esse ortum. Num recte Aristarchum vituperaverit, valde dubium est; potuit enim Aristarchus, licet patriam Thera-

menis haud ignoraret, tamen scripturam *Κῶος* praeferre. Demetrius ipse verba comici *παρ’ ὑπόνοιαν* esse dicta quamquam non diserte commemoravit (*παραλείπει*), perspexisse tamen putandus est; ceterum recte eum *Κεῖος* (pro codd. *Κῖος*) scripsisse, ut Theramenes tanquam homo peregrinus a comico exagitaretur, inter omnes constat; cf. Gerhard l. l. p. 31. De postremis scholiastae verbis *Αἰδύμος δὲ φησιν ὅτι δύναται καὶ τῆς παροιμίας μεμνήσθαι οὐ Χῖος ἀλλὰ Κῖος, παρόσον ποικίλος τις ὢν καὶ ἀγχιστόροφος καθωμίλει τοὺς καιροὺς, πρὸς τὸ κρεῖττον μέρος αἰεὶ διδοὺς εαυτὸν* difficilis est quaestio, cf. Fritzsche p. 229.

36. 990. *Μαμμιάκουθοι*] *Ἀρίσταρχος φησιν ὀνομαστικῶς εἶναι. πῶς οὖν, Δημήτριος φησιν, εἰ μὴ σύνηδες αὐτοῖς τὸ ὄνομα; οὐ καὶ δράμα ὅλον οὕτως ἐπιγράφεται Μαμμιάκουθοι, ὅτι τινες Πλάτωνος λέγουσιν; Ἄλλως· ἀντὶ τοῦ μαμμιάκουθοι, Αἰδύμος, ὅτι κτλ.*

Scriptura codicum est: *οὐ καὶ δρ.* cet., quare Dindorfius ad H. Steph. V p. 558 Demetrium comicum intellegit, cf. A. Meineke F. C. G. I p. 264 sq: ‘Demetrium quendam antiquae fuisse poetam comoediae constat expresso Diogenis Laert. V 85 testimonio’ etc. Sed rectius puto post *ὄνομα* signo interrogationis posito et *οὐ* pro *οὐ* scripto Demetrium Ixionem grammaticum intellegendum esse, qui saepissime Aristarcho adversatus est, cf. p. 27 sq. — A. Meineke l. l. p. 219 de nostro loco dubitans: ‘Ubi Demetrium intellege poetam comicum, de quo infra (p. 264) dicemus. Nisi forte corruptum locum statuas atque ita corrigendum: *Πῶς οἶν, Δημήτριος φησιν, εἰ μὴ σύνηδες Ἀττικοῖς* (pro *αὐτοῖς*) *τὸ ὄνομα ἦν, καὶ ὅλον δράμα κτλ.* qui igitur, nisi nomen Atticis familiare fuit, integrum adhuc drama hoc nomine inscriptum est’. *Ἀττικοῖς* non opus est, vocabulo *αὐτοῖς* spectatores vel auditores significantur. Omnino mea coniectura (*οὐ καὶ δράμα κτλ.*) simplicior videtur.

37. 1196 sq. *εὐδαίμων ἄρ ἦν, εἰ κάστρατήγησέν γε μετ’ Ἐρασινίδου*] *Δημήτριος φησιν, περιττότερόν τι γενέσθαι τῷ Ἐρασινίδῃ, τὸ καὶ κλοπῆς κατηγορηθῆναι τῶν περὶ Ἑλλήσποντον χρημάτων.* Cf. Xen. Hell. I 7, 2. Kockii in ed. Aristoph. Ran. adn. ad l. — Praeterea vid. supra p. 27.

b. *Vespaе.*

38. 240. ἀλλ' ἐγκονῶμεν ὄνδρες, ὡς ἔσται Λάχητι νυν] Ἡ δίκη ἢ τιμωρία ἢ τοιοῦτόν τι. τοῦτο δέ φησιν, ὡς τοῦ Κλέωνος εἰς δίκην ἀπαγαγόντος τὸν Λάχητα. στρατηγήσαι δὲ αὐτόν φησι Δημήτριος ἐπὶ ἄρχοντος Εὐκλέους πρὸ τριῶν ἐτῶν εἰς Σικελίαν πεμφθέντα μετὰ νεῶν Λεοντίνους βοηθήσονται.

Cf. supra p. 28. — De re cf. Diodor. 12, 64. Thuc. III 86.

III. Ex operibus de Graecis dialectis compositis.

a. Ἀττικαὶ λέξεις.

39. Δημήτριον πάντες τὸν Ἰξίονα λέγουσιν ἐν Ἀττικαῖς (Ἀττικαῖς om. Suidas s. v. *Λαισποδίας*) λέξεσιν ὡς γλῶσσαν ἐξηγεῖσθαι, ὅτι λαισποδίας ἐστὶν ὁ ἀκρατὴς περὶ τὰ ἀφροδίσια, ὥστε καὶ κτήνη σποδεῖν. sch. Ar. av. 1569.

De hoc Ixionis opere cf. supra p. 18 sq. — 'Legebatur Δημήτριος δὲ καὶ πάντες τὸν Ἰξίονα λέγουσιν. Hic quaedam mendosa esse puto, quae sic in integrum restituo: Δημήτριον τὸν Ἰξίονα πάντες λέγουσιν ἐν ταῖς etc. Demetrius enim grammaticus vocabatur Ixion... Πάντες intelleguntur omnes interpretes, quorum excerptis usus est scholiasta. Sic in schol. Equit. 1381. Vesp. 1326.' Dind. in adn. ad schol. — Si Dindorfii scriptura vera est, compiler Ixionis librum non inspexit. — Recte grammaticus vocem disposuit in λαι et σποδεῖν = βινεῖν; cf. Suid. s. v. λαιμάσσω· ἀμέτρως ἐσθίω et Hesych. s. v. λαι· ἐπὶ τῆς ἀσχρονογίας. Vide etiam Curtii Grundz. d. gr. Etym. p. 361 ed. V. Verba ὥστε καὶ τὰ κτήνη σποδεῖν cur adiecta sint, non perspicitur. Fortasse apud alium comicum nomen *Λαισποδίας* in eam significationem, quam Demetrius statuit, detortum inveniebatur: nam ab Aristophanis loco eam alienam esse apparet.

b. Περὶ τῆς Ἀλεξανδρέων διαλέκτου.

40. Τὴν μέσην τοῦ ὀνόματος (sc. ὄρνυγες) συλλαβὴν ἐκτείνουσιν Ἀττικοί, ὡς δοιδυκα καὶ κήρυκα, ὡς ὁ Ἰξίων φησὶ Δημήτριος ἐν τῷ περὶ τῆς Ἀλεξανδρέων διαλέκτου. Athen. IX p. 396b.

De toto opere vid. supra p. 19 sq.

IV. Commentationes grammaticae.

a. Ἑτυμολογία vel Ἑτυμολογούμενα.

41. Ὀνομάσθαι σικρούς φησι Δημήτριος ὁ Ἰξίων ἐν πρώτῃ Ἑτυμολογούμενων ἀπὸ τοῦ σεύεσθαι καὶ κίειν. δομητικῶν γὰρ ὑπάρχειν. Athen. III 74.

42. Ἦλα οἶον μῆλα, ὡς Δημήτριος ὁ Ἰξίων λέγει ἐν ἑτυμολογίᾳ. Athen. II 50.

43. Προῦνικοι] Λέγονται οἱ μισθοῦ τὰ ὄνια κομίζοντες ἐκ τῆς ἀγορᾶς· δῆλον δὲ ἐστίν, εἴτε κατὰ τὸν Ἀλεξίονος λόγον, εἴτε κατὰ τὸν Δημητρίου διὰ εἰ διορθόγγον γραφὴ ἐστι, παρὰ γὰρ τὸ ἐνέγκαι, οὕτω καὶ Φιλόξενος. Cram. A. P. IV p. 189.

Προῦνικος] Καὶ οἱ μὲν ἀπὸ τῶν νεικῶν ἐσχημάτισαν. ἐπὶ γὰρ ἀπαιδευτῶν φασὶ κείσθαι τὴν φωνήν. Ἀλεξίων μέντοι παρὰ τὸ ἐνεικος ἐσχημάτισεν· νερίως γὰρ λέγεσθαι προνείκους τοὺς μισθοῦ τὰ ἐξ ἀγορᾶς ὄνια κομίζοντας παῖδας. Δημήτριος δὲ φησιν τοὺς διδόντας τὰ ὄνια πρὶν λαβεῖν τιμὴν. ibid.

Demetrii etymologia est πρὸ et ἐνείκω. Quod verbum supra pro ἐνέγκαι videtur scribendum esse: παρὰ γὰρ τὸ ἐνείκειν; cf. Etym. M. s. Προῦν. Phot. lex. s. v. cum adn. Naberii. — Hesych. lex., Dind. ad H. Steph. s. v.

44. Μαῦλις] ἡ μάχαιρα παρὰ τὸ μαῦρον, ὃ ἐστὶ τὸ ἀμαίρον τῆ λαμπηρόνι. Δημήτριος δὲ παρὰ τὸ ὁμοῦ ἀλλίξεσθαι δμυλῖς (καὶ μυλῖς) ἀποβολῇ τοῦ ο. Etym. M. p. 574, 270.

Cf. Suid. *Μαυλίας* τὰς μαχίρας ἐκάλλον, διὰ τὸ ὁμοῦ ἀλλίξεσθαι· οἶον δμυλίας. Eadem igitur etymi explicatio; cf. Steph. Thes. s. v. — Hesych. lex: *Μαυλῖς*· μάχαιρα καὶ ἡ μισθῶ τι ποιοῖσα; cf. Steph. Thes., ubi haec scriptura pro altera, *μισθωτῶν ποιοῖσα*, commendatur.

45. Ὑπέρινος] ὑπερκεκαθαυμένος· οὕτως Δημήτριος. Phot. lex. s. v., cf. ibid. s. v. *ινᾶσθαι*· καθαίρεσθαι ἐκκενοῦσθαι· καὶ ὑπέρινος· ὁ ὑπερκεκαθαυμένος. Vid. adn. Naberii.

De Demetrii nomine omnibusque fragmentis etymologicis cf. supra p. 17 sq. et p. 40.

b. Περὶ ἀντωνυμιῶν.

Cf. de Ixionis libro, cui περὶ ἀντωνυμιῶν inscripsit, supra pp. 14 sqq.

46. Βίαιος ὁ Ἰξίων ἐστὶ τὴν σφῶε καὶ ἐπὶ δευτέρου τάσσω

ἀμροτέρω γὰρ σφῶε φιλεῖ (H 280. K 552)

ἐπεὶ καὶ ἡ νῶε διὰ τοῦ ε. — καὶ ἔτι ὡς τῆ σφῶ ἐπὶ τρίτον νοουμένη τὸ ε προσέρχεται, οὕτω καὶ τῆ κατὰ το δεύτερον πάλιν νοουμένη Ἀττικῇ προσέρχεται. Apoll. de pron. p. 374 Bekk. = p. 89 Schneider.

Ixion igitur hasce Homericas formas statuit:

νῶε σφῶ et σφῶε σφῶε

Deinde loquitur de usu pronominis in Attica dialecto: Atque ut formae σφῶ, quam hinc sequitur eum praeter σφῶε in secunda persona statuere, in Homericō sermone, a quo ad Atticum progreditur, si tertia persona intellegitur, ε accedit (ut σφῶ = 2. p. in σφῶε = 3. p. mutetur), ita formae σφῶ in Attica dialecto, si secundam personam significat, ε accedit, (ut σφῶ = 3. p. Att. dial. in σφῶε = 2. pers. Att. dial. mutetur.) — Ixionem σφῶ tertiam personam statuere efficitur ex Apollonii (l. 1.) refutatione: Ἄλλ' οὔτε ἡ διὰ τοῦ ε νῶε εἰπαράδεκτος, καθότι σπανιωτάτη, ἀπαξ ποὺ ἡ δις εἰρημένη· οὔτε ἡ κατὰ τὸ τρίτον μονοσύλλαβος κατὰ τὸν αὐτὸν λόγον; cf. supra p. 37. Itaque et in Homericō et Attico sermone σφῶε etiam secundam personam denotare putat. Analogia, a qua hic proficiscitur, (cf. p. 37) falsa est, cum neque νῶε neque σφῶ, tertia persona, nisi rarissime usurpentur. Exploditur Demetrius ab Apollonio l. 1. Huic Apollonii sententiae nos adeo assentiri debemus, ut ne semel vel bis quidem illas formas aut νῶε, ut dualis primam personam Homericī sermonis (cf. Krueger Gramm. II 25, 1, 5), aut σφῶ, ut dualis tertiam personam Atticae dialecti (cf. Krueger I 25, 1, 4 et 5), usurpari possimus probare. Neque magis σφῶε etiam secundam, id quod Ixion voluit, personam denotare exemplis affirmare possumus.

47. Τὸ 'αὐτὸν μιν πληγῆσιν' (δ 244) δασινόμενον τρεῖς ἀντωνυμίας παραλήψεται· διὸ καὶ ὁ Πινδαρίων διὰ τοῦ ε

ἐγραψεν, ὁ δὲ Ἰξίων ἀξιοῖ, ὥστε ἀντὶ τῆς ε̄ τὴν μιν παρελλήψεται· ὅπερ βέλτιον ἐπὶ τῶν τοιούτων παρέλκεσθαι τὴν μιν ὁμοίως τῷ

ἦέ μιν αὐτὸν (Ω 472.)

καὶ δέ μιν αὐτὸν

ἐλλίσσω ψαμάθοισιν (Φ 318) ἢ, ὡς Τρύφων γησίν, ὅμοιον εἶναι τῷ 'σφέας αὐτούς', 'αὐτοὶ ξαντούς' καὶ 'αὐτὸς αὐτόν'. Apoll. de pron. p. 362 = p. 79 Schneider.

Ixionis lectionem probat Ameis ad Od. δ 244: 'μιν, nur scheinbar für ε̄, ist mit epischer Objectivität von der Person des Redenden ausgesagt, wie auch unsere alte Sprache oft ihn gebraucht, wo wir sich erwarten', cf. Progr. Mühlhausen 1861. p. 22 sqq. — Improbavit eam La Roche, Hom. Unters. p. 138.

48. ἄμὸν] Δημήτριος γησίν ἀντὶ τοῦ ἐμὸν· διὸ καὶ ἀντικρὺς ψιλοῖ. πιθανώτερον δέ ἐστι Λωρικώτερον εἶναι, ἀντὶ τοῦ ἡμέτερον, ἄμὸν· οὕτως Ἀπολλώνιος. A ad Π. Z 414. — Cf. Εἴρηται ὡς τὸ 'ἦτοι γὰρ πατέρ' ἄμὸν' (Z 414) ἴσον ἐστὶ τῷ ἡμέτερον, ἀλλ' οὐχ ὡς τινες ἐπέλαβον ἐκ τοῦ ἐμὸν μετελλήψεται· οὐ γὰρ ποτε τὸ ε̄ εἰς ᾱ μακρὸν μεταλαμβάνεται. Apoll. de pron. p. 402 = 111 Schneid.

Fragmentum est ex libro de pron. Ixionis, cf. p. 14. — Eadem atque Demetrii explicatio invenitur in sch. B ad Z 414, ubi Herodiano assignatur: ἐν δὲ μερισμῷ γησίν (sc. Ἡρωδιανός), ὅτι ἀπὸ τοῦ ἐμὸν ἐκτέταται τὸ ε̄ εἰς ᾱ μακρόν. Explicatio non est Herodiani; de scholiastae errore cf. Lentzii praef. ad Herod. rel. p. XXII. fin. — De τινὲς apud Apoll. de pron. cf. supra p. 16.

## Vita.

---

Natus sum Traugott Stäsche patre Carolo matre Barbara e gente Kynast ante Kal. Mart. anni 1859 in pago Klein-Ellguth, qui situs est in regione Olsnae, urbis Silesiacae. Fidem profiteor evangelicam, qualem Lutherus restituit sinceram. Litterarum elementis imbutus per septem annos gymnasium Ohlaviense frequentavi. Unde testimonium maturitatis adeptus vere anni 1878 Vratislaviam in civitatem finitimam me contuli, ut in studia philologica incumberem. Post sex menses Lipsiam profectus sum, ubi me docuerunt vv. ill. Curtius Lange Lipsius Masius Overbeck Ribbeck Wundt Biedermann Hirzel Wolff. Inde auctumno anni 1880 Halas Saxonum transmigravi, ut studia mea ad finem perducerem. Huius acad. niae audiivi per duos annos proff. ill. Dittenberger Hiller Keil Zacher Herbst Thiele. Seminarii philologici ordinarius sodalis fui per duo semestria. Praeterea Hiller et Zacher in societates suas benigne me receperunt, ille in philologicam, hic in theodiscam. Quibus viris omnibus de me meritis gratiam et nunc ago ex animi sententia et semper habebo quam maximam, imprimis E. Hillero, qui studia mea, quae quidem Halis exercebam, benevole comiterque moderatus est neque unquam, quoties eum adii, aut consilio aut opera mihi defuit.